IN TRAGICOS ROMANORUM POETAS CONIECTANEA.

SPECIMEN I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXV. M. MAJI A. MDCCCXLIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OTTO RIBBECK

THURINGUS.

ADVERSARII ERUNT:

GEORGIUS CURTIUS, PH. DR. ET IN HAC UNIV. DOCENS.
JULIUS ZELLE, IN GYMN. FRID. GUIL. PRAECEPTOR.
HERMANNUS LUCHS, PHILOL. CAND.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.



»Hariolari, ubi nihil scitur, non est ineptum, dum ne ipsa inepta sit hariolatio« G. Hermann. (Opusc. V. 150.)

FRIDERICO · RITSCHELIO

STUDIORUM · SUORUM · AUCTORI

D· D·

OTTO · RIBBECK

GRATI · ANIMI · CAUSA

Docti poetae famam Pacuvius cur apud Horatii et Quintiliani aequales tulerit postquam in Nov. Mus. Philol. 1848. p. 611 sq. Ladewigius ratiocinationibus ductus ita explicavit, ut neglectas a Graecis fabulas crepidatas quoque proprio Marte atque ingenio Pacuvium composuisse concluderet, parum quidem ille solo cum Attio ap. Hor. Epist. II. 155 et qui inde sua mutuatus est, Quint. X. 1, 97 comparationem fieri considerans: eam opinionem nuper in Analectis Scenicis p. 10 tacitus alia removit, qua religiosam Graecorum sensuum ac morum observationem docti ac prudentis laude celebrari statuit. Quod an de sensibus vere statuerit ei fortasse dubium videbitur, cui Ulixis saucii in Niptris Romana gravitas Ciceroni Tusc. Disp. II. 21 ipsius „prudentiae" nomine laudata et ex Doloreste stabula in mentem venerint. Sed cum graviore quaestione haec sententia conjuncta est, spectante illa ad tragicorum Romanorum imitandi Graeca exempla consuetudinem. Quod enim inter tres illos tragoediae principes discrimen interesse voluit Ladew., presse nimirum Graecorum vestigia secutum esse Ennium, Pacuvium partim neglectos adhuc mythos suo ingenio in

fabulae formam redegisse partim vel mutandis vel contaminandis Graecorum fabulis gloriam sibi invenisse, semper tamen illorum more religiosissime servato; Attium denique prorsus suo ingenio indulsisse et Romanis tantum, non Graecis placere studuisse —: id singularum fabularum accurato recensu comprobare promisit quidem vir egregius (p. 11), nec tamen ad nostram certe exspectationem perfecit. An credis obstinatorum mentes pervictum iri tam carptim instituto paucarum reliquiarum examine exemplisque magis ad evertendam quam illustrandam normam illam electis? Nam et Ennii Ajacem (p. 21) atque Alexandrum (p. 30) cum Medea (p. 16) non sine gravibus mutationibus versas esse conjecit, nec quibus Pacuvii et liberalitas et religio includitur fines diligentius ullo modo circumscribere, neque Attii pompam abhorrentemque a Graecorum tranquillitate atrocitatem luculentius definire aggressus est. Quod quam sit difficile ac lubricum ut nos quidem conaminibus ejus edocti sumus, ita integro ac libero judicio ipsas totius poesis reliquias consulere tutius videtur. Itaque age jam supplementa quaedam quae jam antea ad evertendam priorem istam de Pacuvii doctrina conjecturam in promtu habebamus, novissimae nunc quodammodo examinandae adhibeamus. Neque tamen id, ut qui conscriptis demum his conjectaneis Analecta Ladewigii legerimus, in animo habemus, quidquid ab hoc de singulis fabulis prolatum est, ordine recensere; sed nostra semita vel sic aliquoties per Ladewigiana prata non vera semper imaginatione florida ducemur. Ac primum in universum monemus tria fuisse in tota antiqua Romanorum tragoedia imitandi genera usitata: fabulas dicimus ad verbum de Graecis expressas; liberalius, ipsis rebus passim

mutatis correctas magis quam versas; contaminatas denique. Et cum *Ennii Medea* quidem — „ad verbum" ut *Antiopa Pacuvii* Cicerone de fin. 1, 2 teste expressa —, in qua tamen sententiarum Latini sermonis naturae respectu habito vel contractarum (cf. fr. 19 cum Eur. 365 sqq. fr. 12 cum Eur. 502 sqq.) vel productarum (cf. fr. 20 cum Eur. 371 sqq. fr. 14 cum Eur. 764. Nem. 1 cum Eur. 505 sqq. — Ladew. 17 —), sermonis rhetoricis artibus exornati (fr. 16 coll. Eur. 803), metrorum denique quum in colloquiis, tetrametris potissimum trochaicis senariorum loco positis (fr. 10. coll. Eur. 204 sqq. fr. 4 sic scribendum: nam tér sub armis málim vitam cérnere || Quam semel modo párere coll. Eur. 250. fr. 18 coll. Eur. 530 quum in eadem scena Medeae verba fr. 12 senariis comprehensa sint), tum in lyricis carminibus commutatorum (fr. 6 coll. Eur. 1251 sqq. fr. 17. Eur. 131), quin etiam canticorum [1]) ubi in Graeco exemplo senarii sunt, compositorum licentia non excluditur —: cum hac igitur apte comparantur *Attii Phoenissae,* quarum pleraeque reli-

[1]) Medea infantes amplexans dactyliis tetrametris apud Ennium: (11) salvete óptima corpora! || Cétte manus vestrás, measque accipite, senariis ap. Eur. 1070 loquitur. — Infelicissimum tamen videtur Ladewigii p. 16 Medeae Atheniensi (fr. 9. 12) civitatem in exule parandi conamen. Cui enim bono Cereris templum (fr. 9) animo sibi proponeret Medea? nec nisi nolentibus voces „adsta", „ad laevam", „adspice" non commonstrant adesse Athenis cui haec dicuntur. Deinde vero trochaeos (fr. 12) qui nutrici prologum agenti tribuit, ne illum miro casu fugerunt fragmentorum 1. 2. 3 iambi duodecim versus (utinam ne in nemore sqq.), unde simul satis certo concludi posse videtur, minime copiosius quam apud Eur. de prioribus Medeae fatis Ennium exposuisse.

quiae proxime ad Euripidea accedunt[1]), aliae facile loco suo inseruntur[2]). Itaque, quod apud Attium Oedipus „regnum filiis suis alternis annis tradidit"[3]) (Hygin. 67), nihil

[1]) fr. 8 coll. Eur. 1 sqq. fr. 4: égredere, exi, effér te, elimina úrbe! coll. Eur. 594: *καὶ σὺ τῶνδ' ἔξω κομίζου τειχέων, ἢ κατθανεῖ.* fr. 7: incúsant ultro, a fórtuna opibusque ómnibus || Desértum, abjectum, afflíctum, exanimum expéctorant. coll. Eur. 874: *οὔτε γὰρ γέρα πατρὶ || οὔτ' ἔξοδον διδόντες, ἄνδρα δυστυχῆ || ἐξηγρίωσαν.* fr. 11: áb dracontis stirpe armata exórtus, genere antiquior. Eur. 942: *σὺ δ' ἐνθάδ' ἡμῖν λοιπὸς εἶ σπαρτῶν γένους || ἀκέραιος.* fr. 3: jussit proficisci exilium quovis géntium, || Ne scélere tuo Thebáni vastescánt agri. Eur. 1590: *σαφῶς γὰρ εἶπε Τειρεσίας, οὐ μή ποτε || σοῦ τήνδε γῆν οἰκοῦντος εὖ πράξειν πόλιν· || ἀλλ' ἐκκομίζου.*

[2]) fr. 2: „ne horúm discordiae ét dividiae dissipent, || Distúrbent tantas ét tam opimas civium || Divitias" orta sunt ex Euripideis 81: *ἐγὼ δ' ἔριν λύσουσ' ὑπόσπονδον μολεῖν || ἔπεισα παιδὶ παῖδα.* fr. 12 sic ex Bothii 2. partim emendatione scriptum: „delúbra caelitum, árae, sanctitúdines" Polynici patriae valedicenti respondent Euripideo 631: *καὶ σὺ Φοῖβ' ἄναξ 'Αγυιεῦ, καὶ μέλαθρα χαίρετε, || ἥλικες θ' οὑμοὶ θεῶν τε δεξίμηλ' ἀγάλματα.* fr. 10: „ibi fás, ibi cunctam antiquam castitúdinem" adornata *ἰσότητος*, quam Eteocli mater praedicat v. 535 sqq., laus est. fr. 5, si „nostra" pro vulgato „vestra" scribis: obit nunc nostra moénia, omnes saúcios || Convisit ut curéntur diligéntius ad Eteoclem relata ex nuntii possunt esse narratione, coll. Eur. 1097 sqq. fr. 12 denique: „quae ego cuncta ésse fluxa in meá re crepera cómperi" Oedipus in extrema fabula pronuntiavit coll. Eur. 1761: *νῦν ἄτιμος αὐτὸς, οἰκτρὸς, ἐξελαύνομαι χθονός.*

[3]) Quod evincunt praeter prologi versum (1) „vicissitatemque imperitandi trádidit", haec Polynicis cum fratre altercantis verba: (13) „num páriter videor pátris vesci praémiis?"; ut quae sola restant: (9) „gnatús uti tute scéptrum poteretúr patris" — et ipsa Jocastae prologum agentis esse patrisque in illo instituto consilium innuere videantur.

ad totius fabulae structuram valebit, quam ut intelligatur, Romanum poetam fratrum impietatem ingrati animi crimine etiam exaggerare, Polynicis vero jus in clariori luce ponere voluisse.

Minime „pressius quam in ceteris", (Ladew. 15) sed aliquanto liberius in *Hecuba*, „versa" eadem Gellio XI. 4 teste de Euripidea Graecum exemplar Ennius videtur expressisse. Nam illis: (6) „miseréte anuis (ex Hermánni emendatione), || Date férrum, qui me animá privem!" in Euripideo Hecubae cantico, quod legitur inde a v. 155 usque ad 177, nihil est quod respondeat; neque omnino probabile est, summae desperationis affectus jam initio effudisse poetam; quum contra similia quaedam in senariis et Ulixem precetur Priami conjux v. 387: *κεντεῖτε, μὴ φείδεσθε;* et 391: *ὑμεῖς δὲ μ' ἀλλὰ θυγατρὶ συμφονεύσατε* (quibuscum jam ab aliis notatum est concinere Enniana 11: „extémplo acceptam mé necato et fíliam"), et Talthybio dicat 505: *ὦ φίλτατ', ἆρα κἄμ' ἐπισφάξαι τάφῳ || δοκοῦν Ἀχαιοῖς ἦλθες.* Inde igitur carminis materiam Ennius hausisse videtur jam abducta ad mortem filia cantati a matre, quae in Graeco exemplo usque ad nuncii adventum afflicta et muta humi jacere fingitur. Pluribus acerbam ejus ultione de Polymestore peracta laetitiam (cf. Eur. 1044 sqq.) adornatam esse significat versus: (4) „Júppiter tibi súmme tandem mále re gesta grátulor!" Nec Agamemno, ubi justa passum esse Polymestora docet (Eur. 1240 sqq.), simul, quod prorsus alienum est, Thracum legibus nullas de parentum aut hospitum interfectoribus poenas constitutas esse poterat inferre. Itaque e versu 1247: *τάχ' οὖν παρ' ὑμῖν ῥᾴδιον ξενοκτονεῖν* minime orta sunt Latina: (2) „sed núnquam

scripstis, qui parentem aut hóspitem || Necasset, quo quis crúciatu perbíteret", quae quum aptius comparentur cum Hecubae verbis 799: ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι, χὼ κείνων κρατῶν || νόμος· νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα, || καὶ ζῶμεν ἄδικα καὶ δίκαι' ὡρισμένοι (cf. 803); illam potius accepto caesi pueri nuntio de manca humanarum legum indole conqueri putamus. Simili ratione additam sententiam habes hanc: (3) „heú me miseram! périi! pergunt lávere sanguen sánguine"; quam recte G. Hermannus Hecubae illis in initio anapaestis insertam censuit, e quibus iambicus quoque octonarius pendet hic: (1) „o mágna templa caélitum, commísta stellis spléndidis!" (cf. Eur. 68).

Nihil vero attinet vel huc vel ad Pacuvii Ilionam grande illud umbrae carmen fr. 15: „adsum atque advenio" sqq., quibus quae vulgo adjunguntur: „unde animae excitantur obscura umbra opertae ostio alti Acheruntis, salso sanguine, imagines mortuorum" (quae transpositis: „alti ostio" et „mort. imag." septenariorum numeris accommodantur) ne addere auderem Lachmannus, cujus monitis benevolentissimis aliorum quoque errorum evitationem debeo, in aures mihi insusurravit quamquam his quoque versibus „imaginem loqui" Cicero Tusc. I. 16 videtur testari. Quae utut se habent, nunquam qui in littore spatians telis a Polymestore occisus et in mare projectus erat (Serv. ad Aen. 3, 15), illisque „Mater te appello" sqq., matrem exhortatur, aut humatorum crematorumque vitam describenti et νεκρομαντείας superstitionem ridenti Ciceroni poterat exemplo esse aut ex Acherunte per speluncas sese advenire profiteri. Et videat quomodo cum sua de Ennio Euripideae Hecubae

vestigia premente opinione Ladew. umbrae illam allocutionem conciliet, quae tantum non totam priorem fabulae partem commutaret necesse erat. Nobis autem persuasum est, ne in Iliona quidem, Ciceronisque verbis vel missis aliquantisper, talia potuisse a Deiphilo pronuntiari, nec tamen ob singularem illam Ladewigii „alliterationis usum a Pacuvii poesi admodum alienum" contendentis causam, qua ductus profecto verendum est ne velut hos locos a Pacuvio abjudicet: Antiop. 3. 7.[1]) 11. Arm. jud. 10. 11. Atal. 5. 8. 12. 13. 17. 22. Chrys. 3. 4. 5. 6. 8. 14. Dulor. 13. 23. 24. 25. 26. Herm. 2. 3. 8. 17. Ilion. 5. 8. Med. 4. 6. 11. 17. Niptr. 3. 8. 10. Paul. 1. 2. 3. Perib. 5. 12. 13. 16. 17. 19. Teuc. 1. 5. 7. 8. 17; quibus exempla ex Attio addere supersedemus; non enim rariora sunt. Immo excitati ab Inferis videntur haec esse: „adsum atque advenio". Quare vide an in *Attii Epigonis* recte conjiciamus Amphiaraum ab Alcmaeone de patris jussu exsequendo adhuc dubitante advocatum respondere. Ad tale colloquium, simile illud

[1]) Ubi egregium emendationis adjumentum solam J. Scaligeri sagacitatem non fugit, petendum ex Varrone de L. L. V. init.: „nox, quod ut Catulus ait, omnia nisi interveniat sol, pruina obriguerint". Nimirum pro Catuli nomine Pacuvium restituendum esse fidem facit Lucretii imitatio V. 216 proxime accedentibus Ciceronis de nat. deor. I, 10 verbis: „atqui terrae" e. q. s. Quo fit ut Pacuvii versus sic ducam scribendos esse: Sól si perpetuó siet, || Flámmeo vapóre torrens térrae fetum exússerit, || Nócti ni intervéniat, fructus pér pruinam obriguerint, praesertim quum indirecta et soluta oratione eum locum laudaverit Varro de R. R. I. 2, 5: „verum enim est illud Pacuvii: sol si perpetuo sit, aut nox, flammeo vapore aut frigore terrae fructus omnes interire".

Hamletiano, respicit Alcmaeonis pede terram percutientis vox (13): „audísne haec, Amphiaráe, sub terram ábdite?" Nec male cum illis: „unde animae excitantur" (si quidem omnino recte ea cum ceteris conjunguntur), quae in Polydori vel Deiphili ore prorsus otiosa essent, conveniunt quibus mortuorum condicionem attigerit Amphiaraus: (2) „sápimus animo, frúimur anima: síne animo anima est débilis", minus certe hac ratione languida quam si Eriphylae Alcmaeonem ad bellum incitanti cum Ladew. p. 27 tribuantur. Aliam autem fabulam qua vates Orcinus potuerit consuli ignoramus.

Ceterum *Ilionae* haec habemus post Welckeri et Duentzeri (ephem. Darmst. 1838 p. 57 sq.) curas accuratius describendae addenda. Versus enim ille: (Teuc. 2) „Halcýonis ritu líttus pervolgáns feror", quem Ladewigius Mus. Ph. l. l. queritur neque a Telamone nec ab Eriboea nec ab Hesiona apte pronuntiari, suum inter Teucri fragmenta locum soli debet Scaligeri arbitrio, quum Varro de L. L. VII. 88 M. Pacuvianum tantum esse auctor existat, nullo fabulae nomine addito. Liberemus igitur vel Sophoclem vel non minus innoxium Romanum poetam incommoda docti tumoris suspicione, et videamus num melius Deiphili in Iliona umbrae haec adscribantur. Apposite enim et multo certe ad totius fabulae consilium accommodatius, quam apud Euripidem Polydorus, in Iliona Deiphilus prologum agebat. Hic enim et solus erat a quo integram rerum peractarum seriem auditores possent accipere et is, de cujus sorte omnia quae sequebantur penderent. Ille igitur primum Polydorum, statim ubi natus sit, Polymestoris Thracii hospitis conjugi nutriendum datum esse narrat: (Ilion. 2) „Ab eá depulsum paé-

dagogandum áccipit, || Mamma (*út*) repotia (*íl*)lic libet (*párvulus*) [1]); deinde et auri fame et, Electra Priameiam stirpem exstincturo promissa, voluptate memorat perductum esse Polymestorem ut polluto hospitio suum insciens filium ipse interficeret (cf. Virg. Aen. III. 49 sq. Huc pertinent versus — 4 —: „sed hí cluéntur hóspitum infidíssumi", sc. avari, et: „blándam hortatricem ádjugat || Voluptátem" (3).) Nunc, inquit, inhumatum corpus suum velut Alcyonem (Ovid. Met. XI. 410 sqq.) undarum aestu et recessu modo relinqui in littore modo obrui fluctibus et in alium locum circumvolvi (cf. Serv. ad Aen. 3, 15). Quibus ex ipso Pacuvio firmamentum aliquod videtur accedere. Attiana quippe Iliona (de Enniana solius Columnae est commentum) an exstiterit res est dubiosissima. Cui tutandae qui vulgo afferuntur duorum locorum alter apud Nonium p. 505, 26 in libris sic legitur: „sonunt etiam inde manavit. Ennius Andromace — Iliona: ibo ad eam ut sciscam quid velint: valvae sonunt" quum per se manifesto turbati articulorum ordinis est, quoniam illa „etiam inde manavit" respiciunt ad p. 504, 29 („sonit pro sonat") et 505, 11 („sonere inde tractum est"); tum Ilionae auctorem in Mss. nullum exhibet, Attii nomine in Aldina demum editione adjecto, ut jam in Junianae margine Pacuvius inveniatur substitutus. Neque multo melioris fidei alter est locus Nonii p. 382: „rimari dicitur scrutari, quaerere. Virgilius — Pacuvius Athalanta — Accius Iliona: aut stagnorum humorem rimarem loca.

---

[1]) Ad hunc fere modum ducimus illa in Festo p. 281 M. corrigenda esse: „ab eo dep. mamma p. accipit appottalis libet," repotia „refectam" lactis „potationem" interpretati.

Varro —." Nam hic Leidensis codex litteras servavit „accuius," unde initiali semel nominis „Pacuius" (sic apud Festum quoque p. 217 et in Plinii codice Bambergensi H. N. XXXV. 4, 7 legitur) extrusa Accii nomen ortum esse tam credibile est quam Pacuvii verum olim scriptum fuisse probabiliter Rothius conjecit. Qui vero eodem auctore bis in una notatione continuo ordine nominatim laudato offensus satis sane constantem Nonii posteriori loco vel „idem" vel „item" vel „et" vel, ut hoc utar, „idem Pacuvius" apponendi morem, hunc autem ea tantum condicione negligi observet, si diversis in eodem articulo vel notionibus vel formis annotatis inter utramque vocem aut ejusmodi discrimen aut ipsius etiam Nonii verba intercedant; itaque necessario Attianam fabulam retinendam concludat: eum praeter lacunosam textus Noniani naturam unus locus fugit p. 356, 6, cui nulla excusatio adhiberi potest. Nam alii sane loci videntur tantum refragari (p. 373, 19. 511, 29. 511, 8). Si igitur jure nostro Pacuvio illa: „(ubi) aút stagnorum humórem rimarém, loca" vindicamus, eosdem Deiphili per freta acti errores videntur innuere. Polydoro Iliona consilium suum aperit his: (13) „fac út coepisti: hanc óperam mihi des pérpetem: — oculós transaxim" (libri: oculis traxerim. O. Mueller: oculis transaxim, h. e. ego quae tu incepisti nutu meo ad finem perducam). Igitur non illius consilio apud Pacuvium (ut Hyginus 109 tradit) Polymestorem luminibus privavit. Sed antequam originem ei declaravit, statim ex itinere redeunti et parentes incolumes se offendere exultanti confessa videtur quae in pectore volveret. Quod concludimus ex eis, quibus improvisa crudelitate oppressi indignationem lenire ac defendere instituit: (1) „cur ílla-

queetur bic, mecum altercás? — tace!" Nimirum interrupturus matris verba erat Polydorus. Nunc demum incipit Iliona veros ei parentes detegere: (7) „ne pórro te error, núnc qui lactat, máceret" (Non. 16, 19 vulgo: — qui nunc —). — Conscientia malefactorum cruciatum vatemque aliquem expiationes causa aditurum: (5) „quis deós infernos, quíbus caelestis dígnet decorare hóstiis?" aggredi videtur Iliona: blandis primum verbis maritum alloquitur, oculis tamen perniciem innuens. Et dulcioribus semper laudibus ferociori vultu tanquam telis in se projectis perturbato Polymestori: (Inc. fr. 16) „quíd me obtutu térres, mulces laúdibus?" (Paul. Diac. v. Mulciber. nullo fabulae indice) subito intonat: (11) „óccidisti: ut múlta paucis vérba unose obnúntiem". Jam in aedes eum Polydorus abripit. Nuntius incedit Graecorum, qui quum regem quaerere videatur, ministrorum aliquis dicit: (14) „*A.* ibo ád eum ut sciscam quíd velit. *B.* valvaé sonunt." (Non. 504, 28: — velint —) Egrediuntur Iliona et Polydorus perpetrato facinore, quo paucis descripto et anulo Deiphili, quo a Polymestoris manu detracto convictus sit reus, ostenso (12: „repúgnanti ego porro húnc vi detraxi úngulum") Trojam urbem praeco refert in Graecorum esse potestate: (9) „profécto aut inibi est aút jam potiuntúr Frugum". In primis Polydori parentum mortem describit. Quo respicit Servii locus neglectus adhuc, ad Aen. II. 506: „de morte autem Priami varie lectum est. Alii dicunt quod a Pyrrho in domo quidem sua captus est, sed ad tumulum Achillis tractus, occisusque est juxta Sigeum promontorium. — tunc ejus caput conto fixum (Pyrrhus) circumtulit. Alii vero, quod juxta Hercaei Jovis aram exstinctus sit, dicunt, et hanc opinionem plane sequitur Virgilius, licet etiam illam praelibet,

ut suo indicavimus loco." Qui est ad II. 557: „jacet ingens littore truncus.] quod autem dicit „littore," illud, ut supra diximus, respicit, quod in Pacuvii tragoedia continetur." Itaque de Priamo et Hecuba ad Penates profugis haec dicta sunt: „quí velox supérstitione cúm vecordi cóninge." (Fest. 372. „v. vecors: qui veloci —." O. Mueller scripsit: „velox.") [1])

Sed ad Ennium ut revertamur, si earum, quarum exempli etiam non nisi ex membrorum quorundam partim exsanguium penuria jejuna umbra potest divinari, fabularum cum Graecis comparationem jure nostro omittimus, sola praeterea in conspectum venit Iphigenia. [2]) In qua quum chori partes militibus datas esse Gellius XIX. 10 tradat, qui his apud eum adscripti sunt de otio versus (4) toti pendent ex Achillis Euripidei verbis 801—817, ut ejus quoque scenae, quae canticum illud sequebatur, quaeque inter Achillem et Clytaemnestram est, initium necesse sit immutatum fuisse. Ac virginum quoque Euripidearum de Paride querelas (574 sq.) earum nomine excepisse

[1]) Eis quae apud Non. 475 poti exstant: „usi honere credo adhuic sceptrum patientur poti," sic fortasse scribenda: „— ⏑ usi honóre credo hunc scéptrum patientúr poti", nec de suo nec de Polydori regno post mariti mortem a Thracibus impetrando Ilionae spem ullam credimus significari. Neque enim illi sed victores Graeci Priamidarum jam erant auctores, qui profecto adduci non poterant, ut quem occidi jusserant regia etiam potestate auctum egregium sibi ipsi vindicem pararent. Itaque moritura videtur acerba cum ironia Iliona haec dicere. Polydorum autem persuasum habemus aut et ipsum sibi mortem contraxisse aut Graecis ad supplicium traditum esse.

[2]) Dolemus Bergkii Quaestiones Ennianas nobis nec fuisse in promtu nec esse.

chorus videtur, si quidem recte ad eum referimus haec: (8) „quaé nunc abs te víduae et vastae vírgines sunt." In altercatione fratrum comprehendit Agamemno, quae apud Euripidem diversis locis 384. 396. 482. dispersa sunt: (6) Rufinian. de fig. sent. 222 Ruhnk. „égo projector, quód tu peccas; tú delinquis, ego árguor || Pró malefactis? Hélena redeat, vírgo pereat innocens? || Túa reconciliétur uxor, méa necetur filia?" Eandemque ad scenam pertinet, quod recte Duentzerus (Mus. Rhen. V. 444.) huc ascivit inter fratres jurgium: (Ast. Atr. 17.)

A. quís homo te exsuperávit unquam géntium impudéntia?
M. quís tete autem málitia? (vulg. quis autem malitia te)

quibuscum ex Euripide conferenda sunt 327:

A. ποῦ δὲ κἄλαβές νιν; ὦ θεοὶ σῆς ἀναισχύντου φρενός.

et 322:

M. τήνδ' ὁρᾷς δέλτον, κακίστων γραμμάτων ὑπηρέτιν;

Paullo tamen pro Romanorum moribus prolongatam et adauctam esse hanc disceptationem probare videtur gravissimarum, quae alternis inter Atridas versibus intorqueantur, contumeliarum apud Ciceronem Tusc. Disp. IV. 36 memoria. — Haud paullo tamen magis in secundo hoc versarum fabularum genere suo ingenio *Attius* videtur indulsisse. Nam *Baccharum* fragmenta non rebus quidem, quas omnino nullas ex Dionysi laudibus Thyiadumque exsultationibus expiscari possis, sed verbis tam longe a Graecis abhorrent, ut absque duobus locis esset: fr. 5. „deinde ómnes stirpe cum íncluta Cadméide || Vagánt matronae, pércitatae týmpano" (ex M. Hauptii Philol. I. p. 663 conjectura) et: (2) „neque sat fingi neque dicí potest || Pro mágnitate", quorum certum exemplum exstat apud Euripidem 36: *καὶ πᾶν τὸ θῆλυ σπέρμα Καδμείων, ὅσαι* ||

γυναῖκες ἦσαν, ἐξέμηνα δωμάτων· || ὁμοῦ δὲ Κάδμου παισὶν ἀναμεμιγμέναι κ. τ. λ. (cf. 59) et 273 Tiresiae de Dionyso vox: *οὐκ ἂν δυναίμην μέγεθος ἐξειπεῖν ὅσος || καθ' Ἑλλάδ' ἔσται:* omnia cetera cuivis vel Jophonti vel Chaeremoni vel etiam Xantriis Aeschyli deberi non improbabilius conjicias quam Euripidi. Et consentaneum est, in Bacchico furore describendo Brisaeum poetam suis viribus ipsum frenos misisse. — Totam vero scenam mutavit in *Antigona,* siquidem alia ejusdem argumenti fabula deficiente recte ea ex Sophoclis auctoritate derivatur. Nam quum recte haec: (4) „quid agís? perturbas rem ómnem ac resupinás, soror"; et: (6) „quánto mage te istíusmodi esse intéllego, || Tánto, Antigona, máge me par est tíbi consulere et párcere", ad Ismenae in exordio exhortationes relata sint, haec autem: (1) „ne istunc número amittas súbito oblatum" choro Creontem ut Tiresiam auscultet roganti probabiliter tribuatur (cf. Soph. 1091): anapaesti (2) „attát, nisi me fallít in obitu || Sonitús", et dactyli: (3) „heús, vigiles, properáte, expergite || Péctora tarda sopóre, exsurgite!" comprobant coram spectatoribus et custodum vigilias actas et Antigonam comprehensam esse, qua re quantum in tota priore fabulae parte discrimen efficiatur vix est ut moneamus. — Huic generi ex *Pacuvianis Niptra* fortasse licet adnumerare, quamquam quod scimus nihil est quam saucii Ulixis dolorem magis ad Romanam gravitatem adaptatum, itaque clamorum ac lamentationum Herculeis in Trachiniarum fabula similium, quibus unus fortasse ex ferentibus senex intercinebat, loco sensibus prorsus diversum Ulixis cum his canticum positum esse et morientis quoque orationem fortitudinem spirasse. Suspicetur praeterea aliquis, Ulixis errores ac-

curatius quam a Sophocle fastidium auditorum in tam notis rebus fortasse metuente descriptos fuisse in ea scena, cui tota tragoedia nomen debet et cujus multum abest, ut quantum potest fieri absoluta ex indiciis superstitibus imago jam sit conficta. Nam vesperi (multa nocte pugnam fieri tradit Odysseae enarrator Palatinus — *ὡς ἔτι νυκτὸς οὔσης* —) reversus Ulixes postquam prologo Tiresiae illa vaticinia, quo spectant: *ποδαπὸν τὸ δῶρον ἀμφὶ φαιδίμοις ἔχων Ὤμοις;* et: *ὤμοις ἀθηρόβρωτον ὄργανον φέρειν* (haec enim omnia cum toto errorum ordine quum ad extremam fabulam relegare tum saucio et lamentanti Ulixi dicenda tribuere ab arte abhorret); postquam deinde ut a filio (Telemachum sentit) caveat, unde interitus sibi instet, monitum memoravit Jovis Dodonaei; — (*Δωδῶνι ναίων Ζεὺς ὁμέστιος βροτῶν*): hospiti a Penelopa excepto nutrix apportat aquam ut pedes abluat, invitans eum:

Cédo tamen pedém tuum lymphis flávis flavum ut púlverem
Mánibus isdem, quíbus Ulixi saépe permulsi, ábluam,
Lássitudinémque minuam mánuum mollitúdine.

(Gell. 2, 26: cedo tamen pedem lymphis sqq.). Nec male confabulando cum peregrino delectatur, cujus eadem atque eri olim sibi videtur „lénitudo oránionis, móllitudo córporis"; qua servae fidelitate gaudens respondet ille, quo jam clarius quis sit significat: (9) „páriter te esse erga íllum video, ut íllum ted ergá scio". Tum cicatrice conspecta agnitus cum cetera tamen familia sese advenisse ne communicet vetat Eurycleam. Neque aliter tragoedia poterat absolvi. Nam nec si cognovisset Telemachum, *νομίσας τὸν Τηλέμαχον εἶναι* cum Telegono pater con-

certasset; nec si Ulixem praeter nutricem ceteri cognovissent, hi aut pultantem illum atque ut ad patrem admitteretur flagitantem non esse Telemachum metuenti de se et cum gladio e cubiculo erumpenti non demonstrassent, aut vicinos ad patriam contra Telemachum defendendam excitantem: (12) „vos hínc defensum pátriam in pugnam bétite", secuti essent. Eurycleae igitur curiose de Helenae sorte quaerenti facete Ulixes respondet: (4) (Menelaus) „Spartám reportare ínstat: — id si pérpetrat" (Fest. 217 v. perpetrat: — reponare —. Scal: reponere. Both. et Welck.: deponere, h. e. diruere. Lindem.: reportari.). Deinde ad suos errores transit. Inde a Lotophagis ad Cyclopas se venisse: (3) „Aetnam índe montem advénio in scruposám specum" (Non. 222 v. specus: „inde advenio montem Aetam scruposam sp." unde vulgo „Oetam" scripserunt. Priscianus contra VI. 270 hunc ordinem praestat: „advenio in scrupulosam sp."). Unde ad Circen se delatos esse: (Inc. fr. 32) „quae meúm venenis fléxit socium péctora"[1]). — Sed a Sophocle quoque Polyphemi ἐλαιάεσσα νηδὺς et Sirenum carmina (fr. 407 Dind.) memorantur, ac praeter breves significationes ne

[1]) Ceterum vide an haec sint Ulixis ad pugnam prorumpentis, quae sine poetae et fabulae nomine Censorinus de metris p. 2726 (Inc. inc. fr. 22) laudat: „quis meum nóminans nómen aede éxciet? || Quís tumultum invocans incolarúm fidem?" (aede „add. Lachmann.") Quibuscum quae conjuncta sunt: „qui repens semipulsus onere gravi fores strepitu terrent" eis non nisi audacia videtur consuli posse, fortasse sic: „quí repens sémi (somnum), ónere pulsáns gravi || (Hás) fores, strépitu terrét. Post abitum demum illius Penelopa quoque et Telemachus clamore excitantur, qui ab Euryclea edoctus statim serum quidem ad auxilium patris properat.

Pacuvius quidem eis, quibus Orbiliorum patres Livii carmina dictabant, Odysseam debebat exponere.

Altercationem inter Telamonem et *Teucrum* in fabula cognomine elaboratiorem et pulchriorem quam apud Sophoclem fuisse ex Cic. de orat. II. 46, 193 calidius Ladew. p. 25 videtur conclusisse, quippe qui paullo post Ciceronis popularibus suis poeticas laudes vindicandi studium ipse advocaverit ad probandam suam de Oilei partibus opinionem, miram illam ei futuram, qui inter Aiacis Locri Sophocleae fragmenta quarti (Dind.) meminerit.

Nec magis id nobis Vir ceterum ingeniosus persuasit, *Hermionam* Pacuvianam non Delphis, sed vel Phthiae vel apud Molossos actam esse (Anal. Sc. p. 4). Fatendum est neque num ad Sophocleum exemplum hic quoque Pacuvius sese accommodaverit, certius discerni, neque omnino totius actionis satis distinctam umbram ex reliquiis posse erui. Neque tamen tantae sunt dubitationes illae ut in magnum alienissimarum coniectationum inane te praecipitare cogaris. Quidni enim Orestes qui toties et oraculum Delphici dei adierat et in templi praesidium perfugerat, a Delphicis sacerdotibus hospes dicatur, quidni igitur occiso non Orestis magis quam Apollinis inimico Machaereus haec poterat pronuntiare: „íbo atque edicám frequentes út eant gratatum hóspiti" (fr. 25); quidni in exitu fabulae vel Pythia vel deus ipse perpetuam inter Delphicos Orestisque progeniem necessitudinem illis verbis poterat condere: „concórditatem hospítio adiunctam pérpetem || Probitáte conservétis" (fr. 11. Non. 88. v. concorditate)? Taedet enim Pyladis vel auspicis nuptiarum vel amicitiae inter Molossos et Orestem conciliatoris (Ladew. l. l.) Non in animo est eis, quae ex Welckeri monitis

ipsisque cum Euripidea in Andromacha narratione coniunctis reliquiis unusquisque ipse sibi conglutinaverit chartas perdere. De duabus tantum rebus moneo. Contemptissima nimirum est notatio illa Servii ad Aen. 4, 473: „a Pacuvio Orestes inducitur, Pyladis admonitu propter vitandas furias ingressus Apollinis templum, unde cum vellet exire, invadebatur a furiis", quam quum Duloresti suae accommodare nequiret Naekius tanquam commentum grammatici repudiavit, Welckerus p. 1179 ad narrationem quandam retulit Orestis, qua hic quomodo *ἱερόδουλος* Apollinis factus sit exposuerit. At melius quoddam proponenti non invidebis. Nam in Hermiona aut epistola conjugis advocatum aut alio modo de hujus itinere certiorem factum (cf. Eur. Androm. 963), itaque certo ut uxorem ereptam et contemptam ulcisceretur consilio Delphos Orestem profectum esse tragoediae, qua *παρὰ τὴν δόξαν* facta contineri oportet, parum videtur convenire. Quidni igitur expiationis causa, ut furorem sanaret, Apollinis oraculum adierit Orestes, Delphis autem necopinato in Hermionam inciderit. Quo venustissimae efficiuntur duae scenae, una insanientis, altera non sperato amatae adventu ex profunda tristitia ad salutis spem subito erecti. Quid? quod insaniae, tribus versibus totam fabulam summa concinnitate comprehendens ipse Virgilius meminit Aen. 3, 330: „ast illum ereptae magno inflammatus amore Conjugis et scelerum Furiis agitatus Orestes Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras." Neque in cantharo illo Nolano felicissime a Raoul-Rochette (Orest. pl. XL.) de Pyrrhi caede explicato serpentis morsus et aperta in Orestis vultu indicia ullam de morbo ejus dubitationem patiuntur. Ab imaginibus autem aut picturarum

aut ectyporum tragoediae etiam de structura conclusionem facere vel maxime licebit in ea fabula, cujus tractatio Etruscis artificibus ut quae maxime tritissima erat. Hic quoniam de octodecim monumentorum (falso ad partem quod partim ab Ottone Jahnio in libro Archaeol. Beitr. inscripto de Alexandro explicatorum) virtutibus singillatim exponere alio fortasse olim loco conveniet, id tantum ex eis colligimus et Menelaum Delphis affuisse et ipsius Pythiae jussu de impio Orestem poenas sumpsisse. Et patris profecto merita: „quíd benefacta meí patris, quoius ópera te ultum esse aútumant" (fr. 26) cui obiicere poterat Neoptolemus nisi Menelao; cui vero nisi patri pietatem et obedientiam suam Hermiona in memoriam revocare: (fr. 12) „tuo súb judicio quae ómnes tetinerím grados" (Non. 178 v. tetinerit: sub judicio q. o. grados tetinerim)? — Uni denique versui medelam adhibemus hanc: (fr. 16) „cúrsum liquit, chlámyde contorta ástu clupeat brácchium," quum vulgo ex Nonii 87, 26 libris „currum" scribatur. Sunt vero ex nuntii de Pyrrhi morte relatu. Cf. Eur. Androm. 1135 sq.

Contaminationis indicium quoddam quum jam Ennii Iphigenia suppeditet, siquidem recte Welckerus militum chorum ex Sophoclea tragoedia cognomine assumptum esse coniecit (l. l. p. 110): personis tamen vel consiliis novis aliunde illatis ipsam actionem nondum ab eo videmus immutari. At perquam probabiliter in *Attii Armorum judicio* inde a damnatione Ajacis Sophoclis Ajacem adhibitam esse conclusit G. Hermannus ex reliquiarum cum Sophocleis similitudinibus clarioribus illis, quam quae de Aeschyleo utriusque forte communi fonte sine Sophoclei ingenii damno possint derivari. Nullis enim unquam tor-

mentis versus 2: „hem véreor plus quam fás est captivum híscere" aut Welckeri cedet interpretationi huic: „vereor, ne captivi mihi arma abjudicaturi sint," Ulixe nimirum dicente; aut Ladewigii p. 23 pro Menelai in Teucrum conviciis coll. Soph. 1120. 1128. ea habentis explicationi, quam ne tum quidem si scripsisset Attius: „hem vereor ne —" probarem; valde enim insulse et obscure *ὁ τῆς αἰχμαλωτίδος* ipse captivus diceretur. Sed Termessae (si modo cum Hermanno „captivam" scribatur) Ajacem ut sibi parcat precantis (cf. Soph. 489) esse conjectura tam sano verborum sensui apta est quam confirmata primum votis illis pro Eurysace nuncupatis: (15) „virtúte sis par, díspar fortunís patris" (Soph. 550 *ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος, || τα δ' ἄλλ' ὅμοιος, καὶ γένοιο ἂν οὐ κακός*), patris deinde, qui filii ignominiam aegre laturus sit, memoria: (13) „majór erit luctus, quúm me damnatum aúdiet" (Soph. 462: *καὶ ποῖον ὄμμα πατρὶ δηλώσω φανεὶς | Τελαμῶνι κ. τ. λ.*), nuntii denique de impiis olim Ajacis dictis narratione: (9) „sed pérvico Ajax ánimo atque immorábili" (Soph. 766: *ὁ δ' ὑψικόμπως κἀφρόνως ἠμείψατο* —) et: (10) „nám non facile síne deum opera própria humana súnt bona". (Soph. 764: *τέκνον, δόρει || βούλου κρατεῖν μέν, σὺν θεῷ δ' ἀεὶ κρατεῖν*). Nec longe hujus rationis causae repetendae sunt, si Pacuvium Aeschyli inventa jam occupasse et utramque ex trilogia *Ὅπλων κρίσιν* et *Θρῄσσας* in suum usum convertisse non nimis audacter coniiciatur. Nam ubi optimorum poetarum integri fontes fluebant, non profecto erat, cur, quorum ingenium non nisi cum Aeschyli, Sophoclis, Euripidis indole comparatur Theodectas et Astydamantes adirent. Cavendumque est ne quidquid reconditum ceterisque poe-

tis incognitum traditur id Pacuvii doctrinae imputetur, quam quantam Ladew. sibi finxerit, satis generose significavit p. 8. „totam Graecorum antiquitatem summa opera Pacuvium perscrutatum esse" statuens. Non invidemus bono poetae tantam laudem, — modo ne arti ejus officiat —, verum hoc fortiter contendimus, non eo spectare veterum illud de docto Pacuvio judicium, qui Horatii et Quintiliani aetate quo jure tam non emunctis naribus finguntur, ut quantum a Graecorum indole abhorruerit Attius, in reconditis autem mythorum angulis Alexandrinorum assiduitate perscrutandis Pacuvius desudaverit, ei tantum qui „esse docti affectabant," h. e. fautores veterum prope ridente etiam Quintiliano odoraverint? Cautius nobis videmur agere, si et altitudinem illam et doctrinam vel prudentiam non aliter intelligamus ac suadet simplicitas. Itaque ad verborum pondus, magnificentiam sententiarum, affectuum descriptionem apparet Attii pertinere vires et altitudinem. Mediocritatem contra, prudentiam, elegantissimam (non inaequalem) gravitatem Pacuvii laudabant veteres. De „ornatis elaboratisque versibus" hic cogitare vix ad ejus, qui „oratores ut fiant intendentibus" convenientissima quaeque proponere instituit, consilium videatur aptum esse, neque a Cicerone Orat. 11, 36 in illa arte cum Attio Pacuvius, sed cum Ennio comparatur. Quamquam, quantum in praetereundo licet significari, haud paulo concitatiores Attianis et variis affectibus depingendis accommodatiores Pacuvii animadvertas numeros. Quater inter quinque versus Attii „nobiles trimetri" admittunt in secundo et quarto pede spondeum, quum dimidium prope frequentiae iambo his ipsis locis tribuerit Pacuvius. Quod tamen minus neglegentia quam altitudinis gratia ab illo

institutum etiam inde perspicias, quod in senariorum quintam et septenariorum sextam sedem vel iambum vel trochaeum non nisi in voce minimum quatuor syllabarum (cf. Alcm. Alcest. Brut. 2. 6.) et vel sic rarissime adhibebat Attius, evitabat sane Pacuvius quoque, sed ut apud hunc decimam, apud illum quadragesimam fere partem ejusmodi versus efficerent [1]. Nihilominus et vocabulorum delectu et singularum litterarum sonora et significante compositione limam illam, cujus in Pacuvio plus dicitur esse, deprehendas. Simili autem modo, quam Aeschyli etiam notat Quintilianus, ruditas quaedam sublimis in ipsa fabularum Attii structura, apud illum mores delineandi, affectibus praefandi normamque verisimilitudinis adhibendi major peritia ac prudentia docti nomen Pacuvio poterat comparare. Quidni philosophiae quoque et vulgaris cujusdam sapientiae majus in eo quam in Attio studium *σοφιστιομανοῦσι* quibusdam placuerit? Non enim est praetermittendum, in dimidio Attianis minore Pacuvianorum versuum, qui supersunt, numero plures nihilominus exstare philosophicarum disputationum aut communium, qui dicuntur, locorum reliquias [2].

Jam vero eam sententiam, „Pacuvium et Attium tragoedias scripsisse quae vel inventorum laudibus apte cum Graecis conferri possent", quominus in examen vocemus prohibemur ipsius Viri docti inconstantia quadam et hae-

---

[1]) Omnino operae pretium esse experti sumus, Attianos inprimis numeros cum Terentianis comparare.

[2]) Huc pertinent quae Non. 512, 27 ex Atalanta laudat: „concertare ac dissentire partem, da cursum aequiter." Ex quibus hoc consuetudinis cum hominibus instituendae praeceptum efficimus: „cóncentare ac dissentire párti ac da rursum aéquiter."

sitatione. Non enim intelligimus, quomodo velut haec inter se concinant, novas fabulas ipsos quidem illos poetas condidisse (p. 8), neutrum tamen adeo ipsum „stare didicisse" (p. 7) ut Aeschyli fabulas vertendas sibi sumere ausus sit (cf. p. 2 extr.), quamquam Ennius in Eumenidibus non a tanto incepto reformidaverit (p. 5). Quod si inventorum illae laudes nihil aliud significant, quam quod Antigonae et Dolorestis exemplis edocemur, nimirum materiam vel ex posteriorum poetarum Graec. thesauris depromptam propria arte ac prudentia eos correxisse, jucundioribus ingenii luminibus exornasse, novis personis rebusque additis amplificasse, verissimum habemus, sed id reliquiarum indiciis clarius quam ambiguis obscurisque veterum annotationibus demonstratum; sin ultra progrediaris, incidis in hallucinationes, quas ipse Ladew. p. 1 recte alia in causa reprobavit, reputari jubens, „quantus sit numerus fabularum Graecarum, quae ita interierint, ut ne titulos quidem cognitos habeamus." Verum auctores etiam oblivionis situ obrutos indaganti contingit interdum ex tenebris elicere. Velut *Medeae Attianae* falso Welckerus idem argumentum statuerat quod in Medum adhibuerit Pacuvius, Medeae videlicet cum filio in patriam reditum. Sed hujus antea descriptioni post Welckerum et Ladewig. p. 17 spicilegium aliquod addatur. Nam ut versus neglectos ab illo, velut hunc: (21) „si résto, porgit (Nonii v. betere libri: pergit) út eam: si ire cónor, prohibet bétere," quo Medus regem metu, ne periculum a peregrino sibi immineat, haesitantem miratur, et Medeae promissum: „populóque ut faustum sémpiterne sóspitent" sc. regnum (11); (quam deorum placationem priusquam aggrediatur, auspicia festinationem

simulans repudiat: (16) „repúdio auspicium: régrediundum est ílico") praetereundo tantum attingamus, omissis, quorum quae vera forma sit facile perspicitur corruptorum versuum emendationibus velut quod Persis quaestio illa creticis comprehendenda est: (15) „quá super re ínterfectum ésse dixti Hippotem?" (Fest. p. 305 v. super: — Hippotem dixisti): tota illa inde a Medi et matris agnitione pars pulcherrimis poetae artificiis videtur nituisse. Medo enim „ut mendacium morte puniretur" producto postquam Medea filium a se proditum sentiens omnes ut sola cum damnato colloqueretur abire jussit, non profecto tempus erat ut itineris quae jam Persi narraverat pericula filius, cui jam multo graviora superanda erant, matri quoque exponeret. Itaque versus: (17) „— accéssi Aeam: ét tonsillam pégi laeto in líttore" (ex Bergkii emendatione) monologo illi adscribendus est, unde haec sunt: (18) „té Sol invocó, (mi proave,) ut míhi potestatém duis || Inquirendi meí parentis" (Charis p. 79. „mi proave" addidimus.) Agnitum igitur ab aedibus ne quis intus audiat seducit: (inc. fr. 20) „pauxíllum repeda, gnáte, a vestibuló gradum" (Fest. 281 v. repedare: — paulum recede — ; corrigentibus Ursino et O. Muellero) ensemque ei tradit mandans ut avi regno a fratre despoliati injurias ulciscatur. Quem quum ne ipsa quidem adhuc viderit, ex sene aliquo appropinquante: (7) „atque éccum in ipso témpore ostentúm senem," qua nunc condicione pater degat sciscitatura subito horrore percutitur: (10) „sed quíd conspicio? núm me lactans cálvitur || Aeétes?" (Bergk.) „Patrem" appellat, qui tamen infortunio hebetatus filiam non agnoscit: (Enn. Med. 5. cf. Welck. p. 1211) „quís tu es mulier, quaé me insueto

núncupasti nómine?" Deinde Medo quoque avum allocuto Aegialeum somniat senex ad vitam rediisse. Huc enim Medeae verba interpretando trahimus: (9) „séntio patér te vocis cálvi similitúdine." Tandem tenebrae de animo ejus dispereunt: filiam cum nepote adesse patitur sibi persuaderi. Jam sequitur habitus sui descriptio illa Aeetae: (Inc. poet. fr. 16)

Refúgere oculi: córpus macie extábuit:
Lacrumaé peredere húmore exsangueís genas
Sitú nidentes [1]): bárba paedore hórrida atque
Intónsa infuscat péctus illuvié scabrum.

Hoc igitur argumentum Attium quoque tractasse Welckerus conclusit ex tribus versibus his: (10) „perníci orbificor liberorum léto tabificábili"; (6) „tun dia Medea es, áditum quoius exspéctans pervixi úsque adhuc?" — (14) „éxul inter hóstes, exspes, éxpers, desertús, vagus"; quorum primo civium suorum pestilentiae occumbentium strages Persen conqueri, altero Medeam „caelitum camillam" ab eodem excipi, tertio denique Medum qui matrem quaerat significari. Nobis nec tenerrimi illi paterni, non tyrannici amoris sensus arrident, neque, quomodo si Medeam Perses adesse statim cognovit, illa a se filium ut regem interficeret missum esse (in qua tamen fraude tota fabula vertitur) impune unquam ei persuadere potuerit perspectum est. Itaque ne illis quidem: (9) „quî potis est repelli quisquam ubi nullust causandi locus?" credimus Hippotem ut innocentem a Perse adversus Medeam defendi. Quid

[1]) Tusc. Disp. III. 12. vulgo: situ nidoris. Orellius: „situ liventes" ex Turnebi (Adv. 26, 6) codicibus „nitoris" Reg. Pith. Med. Bak.

enim defensione in mortuo opus est? Uno versu tota res absolvitur. Nimirum „neglectum illum nescio quo casu ab editoribus," quo Bothius (Mus. Philol. 1837) Medeae Attianae reliquias ex Nonio p. 90 supplevit: „nisi quás terrestris póntus strages cónciet," ejusdem fragmentorum corpus jam exhibet inter ea, quae ad Argonautarum fabulam quandam relata sunt [1]). Haec enim apud Ciceronem de nat. deor. 2, 35 leguntur: „atqui ille apud Attium „pastor, qui navem nunquam vidisset ante, ut procul „divinum et novum vehiculum Argonautarum e monte „conspexit, primo admirans et perterritus hoc modo lo„quitur:

[1]) Hoc quidem Ladew. p. 18 quoque vidit, ceterum non ad Apollonii locum animadvertens, sed a Colchidibus Sophoclis Attium suam fabulam mutuatum esse statuens. Quae opinio ut ne ullius quidem versus indicio commendatur, ita magnis et intolerabilibus laborat incommodis. Nam neque „exspectantem Medeam sese pervixisse" (6) Jason qui invitus a patria profectus erat ad Colchos nisi stolide blandiri poterat, neque Medeae philosophia (3) aut cum ardore eo, quem Ovidius Met. VII. 90 describit, convenit, aut ad matrimonii illud promissum nisi quae omnia vincit vi potest accommodari. Belle jusjurandam Jasonis (14) perfidiam ejus quasi vaticinatur, quippe qui non nisi quam maxime vagos malorum terminos sibi imprecetur. Ex abietis prospectu vidit pastor quid in stabulis peregerit Jason, valde ceterum barbaro ore referens: „primo ex immani" (2), et postea de grege propter boum impetum relicto haec dicens: „qui nos pascet postea," ut verear ne pecudes ipsae apud Colchos locutae sint. Deinde ne Medea quidem dignum est aut mendacium (4) aut tanta stultitia ut periculorum quae Jason subierit memoria misericordiam patris commotum iri speraret, praesertim tam inani descriptione: „mare cum horreret fluctibus" (12). Nec satis ore favet Aeetes, tam distincte futura mala sua describens (10).

„tanta moles lábitur
„Tremebúnda ex alto ingénti sonitu et spiritu:
„Prae se úndas volvit, vórtices vi súscitat;
„Ruít prolapsa; pélagus respergít, reflat.
„Ita num interruptum crédas nimbum vólvier,
„Num quód sublime véntis expulsúm rapi
„Saxum aút procellis, vél globosos túrbines
„Exístere ictos úndis concursántibus?
„Nisi quás terrestris stráges pontus cónciet,
„Aut fórte Triton fúscina everténs specus
„Subtér radices pénitus undanti ín freto
„Molem éx profundo sáxeam ad caelúm vomit.
„Dubitat primo, quae sit ea natura, quam cernit ignotam,
„idemque iuvenibus visis auditoque nautico cantu
„Sicút citati et álacres rostris pérfremunt
„Delphíni;
„item alia multa —
„Silvaní melo
„Consímilem ad aures cántum et auditúm refert.
„Ergo ut hic primo adspectu inanimum quiddam sensu„que vacuum se putat cernere, post autem signis cer„tioribus quale sit id, de quo dubitaverat, incipit suspi„cari, — sic philosophi" e. q. s. cf. Prisc. de verss. com. 1325. Quibuscum qui Apollonium Rhodium Arg. IV. 316 (quem post Brunckium Nieberdingium quoque video, sed frustra advocasse) contulerit describentem Scythicorum pastorum in Argonauticarum navium adspectu horrorem:

οἱ δ᾽ ὑψοῦ νήσοιο κατ᾽ ἀκροτάτης ἐνέοντο
τηλόθεν. εἰαμεναῖσι δ᾽ ἐν ἄσπετα πώεα λεῖπον
ποιμένες ἄγραυλοι νηῶν φόβῳ, οἷάτε θῆρας
ὀσσόμενοι πόντου μεγακήτεος ἐξανιόντας·

οὐ γάρ πω ἀλίας γε πάρος ποθὶ νῆας ἴδοντο
οὔτ' οὖν Θρήϊξιν μιγάδες Σκύθαι, οὔτε Σίγυννος κ. τ. λ:
is intelliget, falsum esse Welckerum (p. 50), qui a Medea Argonautas discernens ex Aeschyli Hypsipyla derivat; sed eam fabulam, quae ab Apollonio illic narratur, Medeae esse argumentum habendam. Nam Nieberdingii ex Sophoclis Colchidibus, Euripidis Medea et Apollonii floribus tragoediam nescio quam colligentis temeritatem merito perstrinxit Welckerus (p. 1388). Tradit autem Apollonius l. l. haec: ab Aeeta Absyrtum, qui Medeae raptores persequeretur, cum satellitibus missum ad Istri ostium in eos incidisse, qui hostium multitudine perterriti sponsionem cum eis fecerint ut Jasoni cum pelle aurea incolumi in patriam liceret redire, Medea vero in Dianae templo retineretur, donec Scythici regis alicujus arbitrio utrum Jasona sequeretur an redderetur patri, foret dijudicatum. Cujus tamen pacti nuntio Medeam summo furore incitatam Jasoni jurajuranda suaque erga eum beneficia in memoriam revocasse, deinde ad navem cujus incendio interiret ruituram fuisse, tandem vero conjugis omnia illa simulari tantum asseverantis blandimentis demulsam consilium cum eo iniisse et donis et pellem invitis Phrixi filiis dereptam ei redditum iri promisso Absyrtum pelliciendi ut solus in sororis colloquium veniret. Quo quum venisset, Jasonis insidiis occisum ceterisque etiam Colchicis devictis Argonautarum fugam jam non turbatam fuisse. Sed idem argumentum Scytharum Sophocleae fuisse semel a Welckero admonitis nihil relictum est dubitationis de Attianae tragoediae auctore. Id sane, utrum Absyrti in Colchisi secundum vulgarem historiam obtruncati et dilacerati caedem eam, quam Apollonius tradit, in Scy-

this Sophocles quoque finxerit, an, quod Welckero placuit, alio dolo Medea Aeetae patris crimina effugerit: — id ne Attii quidem reliquiis potest discerni. Nam et consolatio illa: (3) „dominátur fors, neque úlli vita própria est" ultra hujus tragoediae spatium potest respicere, et fata sua deflere: (10) „perníci orbificor líberorum léto tabificábili," et (13) „lavere sálsis voltum lácrimis" initio poterat senex tristi dissipatos nati artus conquirendi labore defessus. At haec restat difficultas, cur in Apollonii Scholiis, absolutissimo illo omnium Argonauticarum historiarum corpore, quo et de Absyrti in Colchisi morte et de Medeae in Scythis cum eo affinitate dicitur, nihil prorsus de Sophocleo isto invento additum inveniatur; et quid in beneficiorum suorum enumeratione, quod non germanus fuerit frater Absyrtus, Medeae ad conciliandam Jasonis gratiam profuerit (vid. Soph. Scyth. fr. 491). Occisura sane aptius hanc crudelitatis excusationem proferebat. Ceterum exquisitius aliquid de fabulae structura Latinorum versuum ieiunitate non cognoscitur. De perterritorum fuga pastorum, ut videtur, aliquis dicit: (8)

vagánt: pavore pécuda in tumulis déserunt;
— — — quí vos pascet póstea?

(Nonii 159, 12 libri: — sederunt. Quis (qui W.) nos — „deserunt" jam Bentinus correxit). Postea fortasse de navium invento edocebantur barbari: eo tempore quo

(2) primo éx immani víctum ad mansuetum ápplicans[1])

cultiorem vitam homo instituerit, maris quoque vada transsilire in animum eum induxisse, cujus tamen (12)

[1]) Nam eodem die, quo Colchis effugerat, non poterat profecto Jason Medeae tanquam beneficium vendere, quod ex Euripide 536 vulgo cum his confertur.

ut tristes túrbinum

Toleráret hiemes, máre cum horréret flúctibus,

tanta mole opus fuisse. Ex Medeae cum Jasone colloquio etiam paucula restant: sibi soli, inquit illa, salutem debere Jasona, sine qua (14)

éxul inter hóstes, exspes, éxpers, desertús, vagus

nunquam labores illos ut superaret futurum fuisse. Vulcani meminit boves sese sub jugum duxisse:

(11) períte in stabulis frénos immitténs feris;

ut eodem fortasse referenda sint, quae collatis Euripideis versibus Med. 463 — 469 similibus sane Ennii Medeae Welckerus p. 1378 tribuit:

Non quód draconis saévi sopivi ímpetum,
Non quód domavi ségetis armataé manus,
— — — mémoro

(Charis. 252 P.: non memoro quod — non quod viros domavi et s. Sin Enniana sunt, ita quoque possint emendari: nón commemoro, quód draconis saévi sopivi ímpetum, || Nón quod tauros tíbi domavi e. q. s.). Certe *παράληψις* illa cum Euripideis *ἔσωσα σ᾽ ὡς ἴσασιν* e. q. s. difficilius convenit. Causa vero reapse coram arbitro videtur orari, siquidem accusantis sunt: (4)

Princípio extispicium éx prodigiis cóngruens te ars
árguit,

reae contra haec: (9)

quí potis est refélli quisquam ubi núllust caussandí
locus?

(Non. 89 causari: — repelli —. „refelli" Gulielmi est conj.) Adversariorum quoque machinas quasdam fortasse agnoveris in versu: (5)

nisi ut ástu ingenium língua laudem et díctis lactem lénibus,

quem de eis, quibus Absyrtus apud Apollonium decipitur blandimentis vix aptius interpreteris[1]), quam si his: (6)

tuu día Medea és, quoius aditum exspéctans pervixi úsque adhuc?

bona fide Scythicum regem existimes Medeam allocutum esse.

Non tam auctor quam argumentum certius investigari potest *Eurysacis;* quamquam Musuri ex Hesychii v. *ἀδόξαστον* notatione: *Σοφοκλῆς ευρῆσα* Sophocleam Eurysacem elicientis conjecturae a Welckero probatae nihil videtur obstare. Sed quam hic ipse, adstipulante Ladew. p. 25, Justini (44, 3) historiam, „accepta opinione paternae mortis" Teucrum a Cypro patriam repetiisse, sed ab Eurysace etiam, Ajacis filio accessu prohibitum esse, Attianae tragoediae materiam statuit, eam tragicae actionis parum poetae praebere consentimus cum Schoellio (Beitr. z. Kenntn. d. trag. Poes. 623 sqq. de cujus ceterum ad Teucrum Sophocleam spectantibus commentis melius tacebimus). Unde factum est, ut in adumbratione quoque Viri praestantissimi (p. 197 sqq.) scenae unius magis quam diversorum studiorum ad certum finem decursus imaginem agnoscas. Nam inania illa num armis regnum occupandum sit cum comite consilia, quae repudiantur, non veremur ne quis pro actione venditaturus sit. De reliquiarum contra illam explicationem repugnantia ipse postea, qui volet, judicare poterit. Conficere vero rem videtur, de cujus obscuritate queritur Welckerus, locus ille in

---

[1]) Aptissime contra Jasoni Medeae iram demulcere aggredienti tribuuntur.

Ciceronis oratione Sestiana, quem totum oportet exhibeamus. Enarrat enim c. 56 sqq. Cicero, quam diserte quantoque populi cum desiderio, „recenti nuntio de illo Senatusconsulto, quod factum est in templo Virtutis, ad ludos scenamque perlato", Aesopus Attii poetae verba ad ipsius calamitatem accommodans pro ipso causam quasi egerit. „Summi enim poetae ingenium non solum arte „sua, sed etiam dolore exprimebat. „Quid enim? quí rem„publicám certo animo adjúverit, || Státuerit, steterít cum „Achivis." Vobiscum me stetisse dicebat, vestros ordines monstrabat: revocabatur ab universis. „Ré dubia — — „— — || Néc dubitarit vítam offerre néc capiti pepér„cerit." Haec quantis ab illo clamoribus agebantur? quum „jam omisso gestu verbis poetae et studio actoris et „exspectationi nostrae plauderetur? „Súmmum amicum, „súmmum in bello" (nam illud ipse actor adjungebat amico „animo; et fortassis homines propter aliquod desiderium „approbabant), „súmmo ingenio praéditum." Tum illa, „quanto cum gemitu populi Romani ab eodem paulo post „in eadem fabula sunt acta? „O pater!" — Me, me ille „absentem, ut patrem, deplorandum putabat, —. Quanto „cum fletu de illis nostris incendiis ac ruinis, quum pa„trem pulsum, patriam áfflictam deploraret, domum incen„sam eversamque? Sic egit, ut demonstrata pristina for„tuna quum se convertisset, „Haec ómnia vidi inflammari" „— fletum etiam inimicis atque invidis excitaret. „Proh di „immortales!" quid? illa quemadmodum dixit idem? — „O „íngratifici Argívi, inanes Gráii, immemores béneficí!" non „erat illud quidem verum ...., sed tamen illud scri„psit disertissimus poeta pro me, egit fortissimus actor, „non solum optimus, de me, quum omnes ordines demon-

„straret; senatum, equites Romanos, universum populum „Romanum accusaret:

„Éxulare sínitis: sistis pélli, pulsum pátimini."

Quibus addendum est Scholion Bobianum p. 305 Orell: „Aesopus — egisse videtur Accii fabulam, quae scribitur Eurysace, ita ut per omnem actionis cursum tempora reipublicae significarentur, et quidem Ciceronis fortuna deploraretur"[1]).

Obiicitur igitur in ea fabula Graiis stupor et ingratus

---

[1]) Paucis respondendum est Madvigii (Opusc. Acad. p. 496) sententiae. qui quae inde a §. 122 in Sestianae c. 56 laudantur sola Eurysaci, praecedentia Andromachae censet vindicanda esse nixus verbis: „quid? illa quemadmodum dixit idem?", quibus comparatis cum his: „paulo post in eadem fabula" tantum non aperte ait aliam fabulam significari. Velimus cetera quoque explicasset Vir summus, velut quae §. 123 subsequuntur haec: „et quoniam me huc provexit oratio, histrio casum meum toties collacrimavit, cum ita dolenter ageret causam meam, ut vox ejus illa praeclara lacrimis impediretur". Scilicet lamentationibus in tot fabulis (sed duae sunt) repetitis flebili voce male assuevit? Cur autem postea Attium solum, non Ennium quoque, cum Aesopo memorat pro se dixisse? Nec enim profecto magnum in illis: exulare sinitis e. q. s. (priora autem: o ingratifici Argivi e. q. s. ne vere quidem dici Cicero ipse confitetur) praesidium inerat, quantum contra in eis, quae Ennio Madvigius tribuit! Vix autem infelicior istius opinionis patronus poterat existere Ladewigio p. 36, modo cum Cassandrae stupratore lapidibus ab Achivis propter flagitium obruendo modo cum Priamo ab hostibus de opibus dejecto Ciceronem ab Aesopo mira misericordiae vexatione conferri divinante. At „patrem pulsum", non interfectum Aesopus deploravit! Vides difficultates illas quantas non Garatonius, sed qui Madvigium sequuntur, sibi creaverint.

animus, quod optime de patria meritum exulare sinant. Et quoniam verba „haec omnia vidi inflammari" et „o pater!" in Ennianae quoque Andromachae carmine nobilissimo reperiuntur, potuerunt aut ea tantum vel casu vel consilio poetae in Eurysace repetita, aut, ut iam unum versum („summum amicum") ab actore scimus immixtum, totum illud canticum mutatis mutandis huc ab illo assumpta esse; idque comprobari videtur additis: „ab eodem paulo post in eadem fabula", quae coram eruditissimis viris studiose annotari non sine certa quadam causa rationem habebat. Quod ütut se habuit, id extra omnem controversiam situm est, non Ciceronis solum, sed personae etiam fortunae additamenta illa quodammodo saltem debuisse accommodata esse, itaque in Eurysace quoque patrem, non ut Cicero, patriae tantum sed verum pulsum, patriam afflictam, domum incensam eversamque deplorari. Quid autem? Teucrumne ista de se et gloriari et lamentari, se ipsum patrem — cujus tandem? — vocare, sua in Salaminios, quos iam adulescens reliquerat, merita deflere? Igitur suam ipse laudem Cicero duris Romanorum auribus in scena inculcavit, sua in patriam beneficia cum dubiosissimis grassatoris laboribus contulit ut religionem ingratis moveret? Veremur ne talem Teucrum laeto animo Romani in exilium miserint. Sed habemus alium, qui melius Ciceronis infortunium repraesentabat, Telamonem, „de quo in Tusc. Disp. III. 18, 39 haec exstant: „huiusne „(Epicuri) vitae propositio et cogitatio — levare poterit — „Telamonem, pulsum patria, exulantem atque egentem? in „quo haec admiratio fiebat: (Enn. Telam. 9)

„Hícine est ille Télamo, modo quem glória ad caelum „éxtulit

„Quem ádspectabant? quoius ob os Graii óra obver-
„tebánt sua?

„Quod si cui, ut ait idem, ‚simul ánimus cum re cónci-
„dit', — a — philosophis petenda medicina est" e. q. s.; quae ad Ennii usque Telamonem aut propter fratricidium cum Peleo exulem aut notum illum sine ulla probabilitate relata sunt [1]. Ex Eurysace vero originem ducere fidem facit Ciceronis in Epist. (IX. 26) ad Paetum iocus: „in eo igitur, inquis, convivio Cicero ille? quem adspectabant, cuius ob os Graii ora obvertebant sua?" cui sales tum demum accedunt, si ad ludos illos respexit scriptor. Addas, quae idem Cicero (Tusc. Disp. III. 19, 44) postquam § 44 rursus Telamonis aegritudinem attigit, „quaerendum igitur", inquit, „quemadmodum aegritudine privemus eum, qui ita dicat:

Pol míhi fortuna mágis nunc defit quám genus.
Námque regnum súppetebat mi, út scias quanto é loco,
Quántis opibus, quibus de rebus lápsa fortuna óccidat,

apud Bothium in Ennii Hecubae fragménta (12) recepta, a F. A. Wolfio et Orellio Telamoni eiusdem tributa, quo minime pertinere non est ut post G. Hermanni dissertationem (Opusc. VII p. 372 sqq.) exponamus. — Jam licebit cetera quoque quae ex Eurysace laudantur con-

[1]) Ladewigii p. 24 inventa: in exitu Ennianae fabulae quum Teucer a patre pulsus naves conscendisset, nuntio ad patrem de felici Eurysacis reditu perlato, tantas senem in se concepisse iras, ut imperio abdicato sibi ipsi exilium imponeret, fortunae autem ejus vices Chorum commiserari illis: hicine est e. q. s.: ea praeferat, qui et talem Heautontimorumeni mollitudinem et Ciceronis titubantiam concoquere valeat, eum qui sponte patriam deseruerat pulsum patria dicentis.

sulere. Ac primum, quorum ultimos versus, Teucri nimirum abeuntis, certo finem fabulae fecisse Welckerus asseveravit, proxime ab exordio collocamus haec a G. Hermanno (El. d. m. 386) ad numeros redacta: (1. 2)

nunc pér terras vagus, éxtorris,
regno éxturbatus, mari ......,
super 'Oceani stagna álta patris
terrárum amfrácta revísam.

Telamonem nempe ut in exilium proficiscatur paratum primo putamus incedere, quominus autem re vera iter ingrediatur impediri adventu Teucri et, si recte coniicimus, Eurysacis. Nam et ipsum Eurysacem avum de regno deiecisse diserta verba refutant, nec si affuisset, sibi imperium eripi passurum et una cum sene patriam tam patienter relicturum fuisse animo possumus informare. Itaque ad eam fabulam refugimus, qua quod non Eurysacem secum domum attulerit Teucer a Telamone traditur non receptus esse. Et sane totam criminum seriem, quam Mythographus Vaticanus I. 138 refert, Telamon Pacuvii Teucro intonuisse videtur, qui ut negligentiae crimen effugeret naufragium illud Graecorum, quo ut Eurysaces ab ipso avelleretur factum erat tam accurate descripsit. Nunc vero invento nepote nihil antiquius habet, quam ut avo desideratissimum reducat eoque sibi ipsi veniam patris comparare conetur. Nam, inquit, (7)

Núnquam erit tam immanis, quum non méa opera exstinctúm sciat,
Quín fragescat („non" Both. addidit).

Quibus simul elucet Teucri personam ex Attiana fabula non posse excludi. Sed solus primo videtur ingressus esse, ut in tempore producto nepote majorem laetitiam

efficeret. Telamonem conspicit, misero eius habitu perterritus: (16)

Proh di ímmortales! spéciem humanam invísito
Tam egrégiam, indignam cláde et squalitúdine!

Colloquium cum sene instituit et mox ita in eius confidentiam se insinuat, ut quis sit hic ipsi aperiat: (23) „atque út vides, non ténui de loco" ....; quibuscum coniungas quae supra ex Tusc. Disp. III. 19 laudavimus. His insequuntur Teucri exclamationes „hicine est" e. q. s., quibus ille fortasse respondebat: (8) „ápud ipsum adstas." Deinde autem ipse advenam interrogat: (3)

Tú mihi autem, quód quaero abs te, enóda et qui sis éxplica

(libri Non. p. 15, 8: tu autem, quod e. q. s.) Non agnoverat igitur filium. Quo fit ut quod de Livio Varro (de L. L. VII. 3) profert, Teucrum Livii post annos XV ab suis qui sit ignorari, si non soli Attio, at certe huic quoque vindicemus. Non statim exsequitur Teucer quaestionem illam, primo tergiversari simulans: (4)

nám ea oblectat spés aerumnosum hóspitem,
Dum íd quod miser est clám esse censet álteros.

Denique et se et nepotem avo declarat adesse. Jam accuratius Telamon fata sua exponebat: (11)

Heú me miserum! cum haéc recordor, cum íllos reminiscór dies!

Machinas inimici describit his, quorum restitutionem sagacioribus relinquimus;

diffidam antem neci dare . . . .
Túrbat volgum, —́ ◡ — evítat, moeros dísiicit[1])

---

[1]) Libri Non. 230, 22: Virg. Aen: — in vulgum ambiguas. Accius in Eurysace: diffidam antem ne cidere turbat vulgum

Ultro tamen ut abdicaret videtur coactus esse, quoniam causas patientiae suae explicat:

persuásit maeror, ánxitudo, aegrór, dolor

(Non. v. anxitudo. vulgo: error, dolor) Sed nihil magis dolet senex, quam nepotem quoque cum Teucro patrimonio spoliatum esse. Nam aut hic aut in alia scena lamentatur:

disérte hoc unum incómmodís defít meis

(quod sane Teucer etiam avi miserias accipiens et de omni bona spe deiectus poterat secum loqui.) et:

ei mihi,
ut étiam aerumna haec míhi luctum addit lúctibus!

Unde animum erigere iubet Teucer senem: filii ac nepotis auxilium ei adesse:

quid (té) miseraris, mé ⏑ — ⏑ — ⏑ —
tuam sólitatem mémorans, formidáns tibi?

Telamone respondente:

te cómmiserabam mágis, quam miserebár mei
multís mali vexáti aliquando géneribus[1])

Illis vero praegressum videtur Aesopianum illud Teucri

---

ambigua accius evitat, m. d. — Jun. mg: ne cidare. Voces: „ambigua accius" eiiciendas esse Rothius intellexit.

[1]) Non. 445, 2: „ei mihi ut etiam haec erumna haec mihi l. a. l. Alia persona: quid miserari id me Eurysacem tuam solitatem memoras, formidas — p. 173, 28 memorans, formidans — tibi? Te c. m. q. miserabar mei. Et multis talia et aliquando vexata generibus" ceteris, qui miserari esse flere et lamentari, misereri miserationem alienis casibus exhibere, activo autem primum affectum, passivo secundum significari doceant, contrarium hoc exemplo probaturus. „Eurysacem" ex inscriptione potest illatum esse.

carmen Salaminios, qui chorum effecerunt, obiurgantis et ad fidelitatem auxiliumque exuli ferendum invocatio. Telamonem ad recuperandas res excitat Eurysaces his:

(13) Tót tropaea tránsdes, summam glóriam evorti sines
Tám desubito?

(5) Jám potere, incipe: et sí nequitum, ví contendam ut cómpote
Técum Salaminem hábeam[1])

Timidum et inimicorum potentiam proferentem confirmat: (19)

Níhil est: si autem a té res tàrdat, sócium in portu est cópia,
Quaé subsistat: módo tute ipse téte offirma et cómpara[2]).

Deorum auxilium non esse defuturum: (22)

ílico, inquam, habitát Jovis, quam própitius[3]) — Adversarius postea facinora sua quodammodo videtur defendere (contra eum, qui miserum Telamonis habitum commiseratur: „atrátus taetra véste et vastitúdine || Tam déformatus"[4]), orbitudine praetendens Telamonis necessarium esse factum ut ad validiorem aliquando regnum transiret: (21)

---

[1]) Non. 259, 27: „iam potere incipiam, etsi nequid vi contendam ut hic comportet texum S. h." — „compote tecum" scripserunt Schoell. Berek. Welck. Cf. ceterum Fest. 162: „nequitum et nequitur, pro non posse dicebant, ut Pacuvius cum ait: séd cum contendí nequitum ví, tendenda est clám plaga" (vulg: clam téndenda est.)

[2]) Non. 256, 16: „nihil est — ad te re tardat — que subsistat — te effirma" — „res tardat" et „quae" Bothio, „offirma" Lipsio debetur.

[3]) Non. 325, 8: „ovis" pro: Jovis. quod corr. Both.

[4]) Non. 184, 30: „sed ut ratus t. v. e. v. tra deformatuis"; Mercer.: „sed atratus."

ille órbus, exspes líberum.

Eodem fortasse pertinebant, quae tamen ad sanam sententiam nolumus restituere: (12)

opínione fáctum est, ut quantó minus
stirpem éducabant, tánto reremúr magis
eos ésse[1])

Insidias sibi advenas struere ad tyranni aures videtur accidisse, eamque ob causam illis pericula ab eo instare, quae quomodo evitent deliberant: (18)

quémadmodum impetum óccupemus fácere ultro in
regem — ◡ — ?

Devictum denique, supplicio tradendum, sed gratiam petentem ostendunt: (14)

reprime parumper vím citatum quádrupedum;

et: (17)

sed mémet calvor: vós istum ut iussi ócius
abstráhite[2])

Attii igitur crepidatas, quae non Graecae originis sint, cognovimus nullas. Cujusmodi num *Pacuvianae* fuerint, tantisper licebit dubitare, donec eiusdem artis indicia in Attio quoque deprehendemus. Ceterum exceptis Medo et Iliona ne argumentum quidem *ἀδεσπότων* illarum fabularum adhuc intellectum est. De *Atalanta* quidem longe a Welckeri sententia discedimus. Quae haec est: Atalantam Schoeneïam infantem expositam parentes invenire; multa tamen, quominus filia agnoscatur, impedimenta intercedere; ipsos fratres, quam consanguineam esse ne-

[1]) Non. 356, 18: „— factum est quanto — tanto ut eremur m. —" Jun: „vereremur", mg: „reremur".

[2]) De Nieberdingii (Ilias ab Attio in dramata conversa p. 23) commentis fateor nullum mihi placere.

gent, sorori inimicos mortem minari, civitatem etiam studio et metu suspensam esse. Tandem omnibus his difficultatibus superatis Atalantam tanquam regis filiam receptam petere a patre, ut virginitatem servare liceat. Itaque certamen illud institui, ad quod — multis procis devictis atque occisis — tandem Hippomenem aggredi. Unde tota Hygini (185) et Ovidii Met. X. 560 — 607 historia annectitur. Actionem (agi enim inde a parentum investigatione usque ad victoriam Hippomenis omnia sumere coegerunt Welckerum aperta reliquiarum indicia) eam fingi videmus, quae vel trilogiae modum expleat. Inprimis hoc difficile est intellectu quomodo diuturnum Atalantae fastum multiplicemque iuvenum stragem simul cum nuptiis brevi unius diei spatio complecti potuerit poeta. Accedit, quod tota illa de agnitione pars (excepta quae nusquam traditur fratrum invidia) ex Nonacrinae, quam tamen severe a Schoeneia Idem discrevit, historia assumenda erat (vid. Apollod. III. 9, 2. Aelian. XIII. 1). Quid vero, quod non puella, sed adulescens, non unus, sed duo parentes quaerunt? Nam haec: (7) „hábeo ego istam quí distinguam intér vos geminitúdinem" ut dissidium innuant tantum abest, quantum ut de certaminis signo, quod concertantium utrique datur, sermo sit in his: (21) „is vestrorum utér sit quoi signúm datumst, || Cétte". Signum autem describitur: (6) „suspénsum in laevo bráchio ostendo úngulum". Haec, simul autem nullum de Hippomene indicium exstare, uno denique versu (24: „extremum ipsum praegradat Parthenoreum" Parthenopaei haud obscure mentionem fieri animadvertens considera quae Hyginus scripsit: (99) „Auge — in monte Parthenio peperit, et ibi eum (partum) exposuit. Eodem

tempore Atalante, Jasii filia, filium exposuit ex Meleagro natum. — Hos pastores inventos sustulerunt atque nutrierunt, quibus nomina imposuerunt Herculis filio Telephum, quoniam cerva nutrierat, Atalantes autem Parthenopaeum, quoniam virgine simulante in monte Parthenio eum exposuerat. (100) Teuthrantem regem — Idas — regno privare voluit. Quo cum Telephus —, ex responso quaerens matrem cum comite Parthenopaeo venisset" e. q. s. (cf. Mythogr. I. 174). Nimirum si parentum quaerendorum causa Telephum Parthenopaeus et ipse olim expositus comitabatur, consentaneum videtur antea illum Parthenopaei quoque in simili causa socium fuisse, quin utrumque simul exiisse, ut suam quisque patriam inveniret. Parthenopaeum igitur (10) „paréntum in certum invéstigandum grátia" profectum poenitet itineris suscepti:

dolet pigétque magis magísque me
conátum hoc nequiquam ítiner.

Mater erit quae sensu quodam obscuro ducta stirpem adulescentis perscrutari cupiens talia secum volvit: (2)

dúbito quam insistám viam,
aut quód primordiúm capissam ad stírpem exquirendum
— ⏑ —

(Non. 226, 32: — „a stirpem exquirentem" correxit Bentinus. Numerosius fortasse quamquam audacius sic scribas: viám quam insistam dúbito aut quod primórdium || capíssam e. q. s.)

Eadem qui factum sit ut exponeretur Parthenopaeus, enarrat, primo titubanter: (7)

mi gnáte, ut verear éloqui porcét pudor

Ab avo Lycurgo exorditur, cujus uxor: (5)

triplicém virili séxu partum prócreat,

Ancaeum videlicet, Amphidamantem, Jasum Atalantae patrem. Ad virginitatem simulatam pertinent: (13)

ubi égo me gravidam séntio adgravéscere
propínquitate párti.

Errores suos in montium saltibus describit: (19)

cum incúltos pervestígans rimarér sinus.
(Non. 382 rimari: — inrimare —)

Adhortatione denique concludit orationem:

sempér satagere ut ne ín amore animum tu óccupes[1])

Quae omnia si recte statuere videmur, nemo sane perfectam totius fabulae prorsus ceterum ignotae imaginem ut restituamus flagitabit. Et in hac maxime quaestione haeremus, quaenam Atalantae condicio fingenda sit. Nam coniugio viraginem iunctam vix audemus animo informare Nihilominus clarum est agi de regno advenae tradendo, invitis aliis, qui et ipsi rerum potiundi spem conceperant. De Parthenopaeo enim haec: (1)

— régius nemorális regnum pótitur transmissú patris[2])

intelligere quis dubitet, qui quoties voces „nemus" et „nemoralis" de Atalanta ejusque filio a Statio usurpata sint, reputaverit (Theb. IV. 254. 264. 276. 285. 287. IX. 578. 608. 627. 718. VI. 633). Quanta obstinatione incommodum illum regni raptorem propellere studuerint ostendunt haec: (9)

Mórtem ostentant, régno expellunt, cónsanguineum esse
ábdicant[3])

---

[1]) Nón. 355, 26: „super satis agere ut ne in mare" —. Rectum videtur Bothius 2. assecutus esse, quamquam verborum ordine temere immutato.

[2]) Non. 481, 32: „regi ut memorabis nunc regnum" —, cum contemtu adulescentis in silvis paulo ferocius educati dicta.

[3]) Non. 450, 31: — consanguineam —.

Igitur si non frater, at afficinis certe Parthenopaeus perhibetur eorum quorum necopinato suo adventu jura aboluit. Ad certamen etiam videntur progredi; nam (12)

hiát sollicita, stúdio obstupida, súspensam animo
cívitas.
(Non. 429, 5: hil — vulg.: nil)

Quin cursum institutum esse elucet ex nuntii narratione:

(24) éxtremum intra cámterem ipsum praégradat
Párthenopaeum;

quibuscum convenit allocutio: „gradere átque atrocem coérce confidéntiam." Num igitur ipsam Atalantam statuamus cum Parthenopaeo nondum fortasse cognito concertare? Quo autem consilio? An forte litis, quae de regno est, dijudicandae causa cum invidis illis Parthenopaeus in stadio congressus est? Utique magis hunc decere videtur ut victor quam ut victus existat. Itaque scribatur: „Parthenopaeus." Sed unus est versus, qui fortasse lucis aliquantillum tenebris his valeat offundere. Apud Nonium enim p. 378 haec leguntur: (22) „plaga aliquando pars lecti, aliquando omnis. Pacuvius Athalanta: etsi metuo picta de plaga pallam; ut sit plaga, quae nunc ducimus clavum. Varro Prometheo: eburneis lectis et plagis sigillatis. Afranius: — plagulam de lecto pellis dimitte in ordine." Ubi collatis Non. p. 162, 28 et 537, 23 Pacuvii versum sic ducimus scribendum:

tamenétsi metuo pícta de plumá plagam.

h. e. stragulam quae de picto toro demissa est. Quibus *possit* aliquis suspicari conjugialem lectum intelligi, et cum nobili uxore matrimonium timeri, hinc autem profectus Atalantam conjicere necessitate nescio qua, ut

in Teuthrante Augen, coactam esse ut sese et regnum promitteret ei, qui victor ejus in cursu exstiterit, hoc igitur modo alio quodam sensu contaminatas esse Schoeneiae et venatricis historias. Sed hoc magis est poetari quam divinare. Nobis satis est, ab Hippomenis amore alienam, eandem fortasse, quam in Parthenopaeo Astydamas tractaverit, fabulam Pacuvianam esse demonstrasse.

Pacuvianam vero artem optime existimamus iri conspectum ex *Dolorestis* reliquiarum diligentiore dispositione. Quam periculosae omnino esse opus aleae vel eorum qui in ejusdem fabulae imagine paranda nobis praeiverunt subtilium interpretum periculis moniti ipsi tamen ex aliis, velut Aeneidos librum, cujus argumentum non in promtu erat, ex grammaticorum excerptis restituendi experimentis hoc saltem hariolationibus nostris velut solatium hausimus, satis severa et acri uniuscujusque voculae ponderatione non nimis incertam posse perditi poematis umbram excitari. De Duloreste autem diversas Stieglitzius et Welckerus sententias has protulerunt. Euripideum enim Tauricae Iphigeniae argumentum Ille Pacuvianis versibus quum eo quidem temperamento accommodare conatus sit, ut non dolo primum ac deinde Deae auxilio fugam amicis et sorori contingere, sed Ciceronianam illam scenam ad exitum fabulae relegans, prodito quod paraverant itinere Iphigeniae precibus Thoantem ad veniam dandam persuaderi fingeret: compositam rem inter tyrannum et Orestem esse Welckerus negans omnique Euripideae fabulae imitationi adversatus in pugna regem proficiscentes retenturum ab Oreste occisum esse tam ex monumentorum, quae Thoantis caedem repraesentant, multitudine quam ex tituli forma demonstrare studuit.

Ac primum insolitum certe videri debet, poetam, qui in Chryse Thoantem fugientes persequentem Orestisque manu oppressum fecerit, eundem Dulorestis quoque argumentum Orestis finxisse cum simulacro et sorore fugam tyranni aut beneficio aut caede impetratam. Neque enim hic „de tragoediis non cohaerentibus quamquam argumento propinquis," quas Stieglitzius voluit, sed de ejusdem fabulae agitur aut retractatione aut repetitione; neque quo Iphigeniam Ille cum Oreste (ut pars Erinyum, cui Minervae judicium non placuerit, Orestem vexare non destitisse fingeretur) connexam esse dicit, ei ratioui veremur ne similem quandam, velut poenituisse Thoantem veniae datae aut non letale vulnus ei inflictum fuisse, Chrysi quoque excogitaturus sit. Et a Graecorum quidem ingenio alienum illud Welckerus quoque iudicavit, qui Sophocli Chrysis scriptori neque Iphigeniam Tauricam nec Dulorestem imputandas esse (p. 215), neque Ilionae Euripidem Hecubae poetam rectius auctorem haberi censuerit (p. 1156) quam Dulorestis eum, qui Tauricam Iphigeniam composuerit. At Romanos quoque continuitatem quandam fabularum quaesivisse minime profecto desunt testimonia. Nonne Attii Oenomaum, Pelopidas, Atreum, h. e. quantum simplici efficitur indiciorum aestimatione, Pelopis victoriam caedemque Myrtili, Plisthenis per patrem ignarum trucidationem (Hyg. 86. cf. Welck. p. 369 Hartung. Eur. rest. I. p. 543. Ladew. p. 38), diram denique Thyestis coenam; nonne ejusdem poetae Alcmaeonem s. Alphesiboeam et Epigonos s. Eriphylam; Aeschyleam denique trilogiam Myrmidones et Epinausimachen, ad quas Hectoris Lytra accedere haud improbabiliter G. Hermannus conjecit; nonne Ennii etiam

Ajacem et Telamonem, Achillem et Hectoris Lytra; Pacuvii vero Armorum judicium et Teucrum novimus, tam illas arto inter se vinculo conjunctas, ut de contrarii unico isto Pacuviano praesertim exemplo non modesta tantum permissa sit dubitatio? Saltem apertis et incorruptis oportet credere cogamur indiciis. Verum ex duobus his, formam tituli Graecam tragoediam ab Euripidea diversam innuere, et Thoantis caedem sculptorum pictorumque arte celebratam esse praemissis nondum horum argumentum Pacuvianum fuisse consequitur. Itaque ad solas reliquias potest provocari. Inter eos tamen quos Welckerus suae de exitu fabulae favere dicit, versus pugnam et caedem duo tantum videri possunt prae se ferre, quorum alter (Welck. 1188): „tela, famuli, tela, tela propere, sequitur me Thoas!" sine poetae et fabulae indice laudatur; itaque fundamento vix poterit esse; alter (W. 1187): „*a*) is quis est? *b*) qui te, nisi illum tu occupas, leto dabit." multis interpretum moliminibus vexatus est. Puerilem vero eam minationem habemus, qua quis, ut adversario horrorem incutiat et mortem adeo intentet, huic suadeat, ut ipsi antea plagam extremam infligat. Nec illa qui Orestem vel Pyladem Thoanti minabundum dicere volunt, aliter possunt interpretari atque ita: „ego is sum, qui te nisi antea me interficias occi*dam*." Nimia sane grandiloquentia! Neque Hermanni interpretationem (Leipz. Lit. Zeit. 1828. No. 13) satis insuper audaci emendatione hac: „quem, si illum — leto dabis" fultam, me non intelligere diffiteor. Sive enim Orestem sive Pyladem Thoanti uter Orestes, quem supplicio afficiat, sit quaerenti ista respondere dicas, utique prorsus otiosa sunt, quoniam unicum Orestem punitum iri rex declara-

verat; sin ab utroque simul fortasse pronuntiata sumamus, lepide scilicet roganti uter esset quem immolaret respondebatur: „is quem leto dabis." Miror, quod nemini, Oresti haec de Thoante dici potuisse in mentem venit. De ceteris, quae huc advocavit Welckerus, fragmentis 22. 23. 27. 25. 36. 29. 40 postea melius judicabitur.

Veniae autem a Thoante impetratae primum officere rectissime monuit Welckerus atrox atque inexorabile ingenium ejus, qui minetur: „nam te ín tenebrica sépe lacerabó fame || Clausum ét fatigans artus torto dístraham;" cujusque habitus sic describatur: „ámplus, rubicundó colore, spéctu protervó, ferox" e. q. s. At orationis, qua Iphigeniam et Orestem rex dimiserit, particulam hanc Stieglitzius proposuit: „ut si ita sunt promerita vestra, aequiperare ut queam || Vereor, nisi nunquam fatiscar facere quod quibo boni;" quam miramur potuisse eum quum intelligere tum de Thoante interpretari. Nos quidem hanc tantum dignam profecto regia peroratione sententiam extricamus: „si re vera vos (O. et P.) alter alteri tam bene fecistis, vix ego potero vestram virtutem aequare, nisi semper in bene faciendo persistam"! Sed quae Grotius sat ceterum probabiliter ex his mendis enucleavit: „ut ista sunt" e. q. s. ne ea quidem ab Iphigenia Thoanti vale dicente pronuntiata esse aut necessarium videtur aut verisimile. Neque enim decebat (si quis hanc forte, quod ad plures sermo conversus est, explicationem adhibiturus sit) ei a quo tandem invito prope fraudum excusationem commeatumque impetraverat, Iphigeniam simul ac virginibus ipsis fallaciarum sociis gratias dicere. Ratiocinationem denique Stieglitzianam quis hanc adoptaverit? „Quo-

niam potestatem Thoanti ut supplicium de utroque sumeret fuisse constat, ea si non usus est barbarus, fecit aut divino imperio obsecutus, aut sponte (nam de vi nemo cogitabit); jam quum pepercerit, non possunt fugisse illi simulacrum deae invito rege rapientes, quod furum esset. Ergo imaginem simul ipse tradat necesse est." Nimirum dolo ut invitus parceret coactum esse relinquitur. Talem certe fabulam Graeci Chrysis poetae animo obversatam esse nemo infitiabitur; ut aliis rationibus non intercedentibus periculum saltem facere num illud Dulorestis forte argumentum esse potuerit justum Pacuvianae poesis arbitrum minime videatur dedecere. Conjunctam vero continuitatis vinculo utramque fabulam fuisse, perspectum illud jam Naekii elegantissimae sagacitati non Diomedes solus, huic laudatus, auctor est p. 487 annotans: „Pacuvius tragoedias nominibus heroicis scripsit, Dulorestem, Chrysen et his similia" (quam auctoritatem intelligo posse nullam esse); sed quae apud Non. p. 474 ex Chryse laudantur, si ad partem saltem, quod persuasum habemus, Rothii opera sanata sunt: „inveni opino esse optimum, Orestes uter esset tamen (codd. ut heres sed)," aperto produnt indicio. Rerum tamen in Duloreste gestarum ordinem quum obiter tantum Naekius adumbrare instituerit, actioni tragicae convenientiora eruere conandum erit.

Ut autem ab ea, quae certa a Cicerone traditur, scena exordium faciamus, amicorum illud, quo uter Orestes esset ambigebatur, certamen satis jam constat neque de compacto posse ab illis institutum fuisse neque clementiam tyranni nisi a perfidis decipi. Nihil ergo restat nisi ut damnatum aut alterutrum aut utrumque fallaciis et sibi et sorori salutem parasse conjiciamus. Media tamen fa-

bulae parte et post Iphigeniae agnitionem si illa scena statuitur, et nimis multa, quae inde a consiliorum deliberatione usque ad fugientium profectionem acciderent, λύσεως parti necesse est attribui, neque postquam ad lustrationem semel adducta erat victima causam demum coram judice Thoante poterat dicere. Doli vero illius, — quamquam quod Hermannus coniecit naufragos Orestem et Pyladem choro etiam quo facilius fugam perficerent se simulasse ad auferendum simulacrum non sufficit —, tamen alia vestigia non prorsus desunt. Quae enim apud Nonium p. 181 (euno tyrannum novi temeritudinem) tyranni temeritas dicitur non potest ea aut Aegisthi scelera, quae non temeritate commissa sunt, aut Agamemnonis filiae mactandae consilium nunc demum quam temerarium fuerit Orestem, qui multo acerbiores matris querelas puer audiverat, expertum significare: verum credulitatem Thoantis, qua ad fugiendum abusura sit, ab Iphigenia ita praedicari arbitramur. Exstant deinde apud Festum p. 133 quamquam fabulae nomine non signata haec: „aggrediar astu regem: manticulandum est mihi," quae si Duloresti adscribimus, Naekii hanc conjecturam eo tutius sequi nobis videmur, quo quae ex eadem fabula ibidem laudantur Vossii dudum ingenio partim correcta: „mendicus, manticulator; ita me fati oppressit iugum" propius accedunt ad extremum illius de fortuna sermonis versum, qui hic est: „velut Orestes modo fuit rex, factust mendicus modo." Manticulandum igitur erat simulacrum Thoantis temeritate decepta. Num igitur casu credes factum esse, quod octies in 33 locis optimi Nonii et Prisciani codices indicis formam Dolorestes praebent? (Non. p. 111. 13. 490. 497. (solus cod. W.) 38. Prisc. 208 K. Non. 7. 123)

Dulorestes certe inscriptio ut ad fabulae indolem et structuram conferat tantum abest ut crux magis quam adminiculum interpretum adhuc fuerit. Quid enim est quod servi, quo tanquam *ἱερόδουλον* Orestem prodire Welckerus ex duobus versibus probatum ivit, habitus aut ad sororis agnitionem aut ad fraudem illam momenti afferat; et quibus locis probatur? Prior apud Non. 345 legitur sic: „meret, humillimum et sordidissimum questum capit. Varro — Lucilius — Varro Agathone Duloreste: qui merita hominum et servum facit (Naek: — meritat, hominem se —); unde et mercenarii et meretrices dicuntur. idem Eumenidibus" —. In quibus post „Agathone" vocem Varronis verba nomenque Pacuvii supplenda, deinde autem pro „idem" „Varro" scribendum esse Welckero Naekius persuasit. Verum Pacuvii nomen quid aut cogit inserere aut vetat, ex 54 illorum qui desunt Menippeae saturae librorum numero Ajaci stramenticio, Armorum judicio, Eumenidibus, Meleagris, Prometheo liberato, Oedipothyestae, Sesquiulixi, Tithono indicibus Dolorestem quoque (non sane Agathonem Dolorestem [1]) Varronis addere? Quid porro, ut artibus illis largiamur probabilitatem, de Orestis, quid de servili ejus habitu inde consequitur? Nec minus et ambiguus et corruptus alter versus est, quem idem Non. p. 490 ex Doloreste exhibet: „Delfos venum pecu secunde ab stabula ac itiner contuli" a Welckero de rusticis, quae deo serviens Orestes Delphis

---

[1]) Stieglitzii conjectura: „Varro Agathone e Duloreste" Nonii locos laudandi consuetudini prorsus adversatur. Nec placet „facillima" Oehleri ratio, *δουλοπρεπῶς* (pro Duloreste) Varroniani sermonis tenori inserentis.

ministraverit, officiis explicatus. Unde tamen quae in Tauris condicio ejus fuerit minime efficitur.

Quid? quod nominis ipsius natura Welckeri conjecturae quodammodo refragatur? Cujus ad similitudinem composita quotquot apud Lobeckium in Paralip. gramm. Gr. p. 367 collata sunt, in eis duae notiones quas dicit coordinatae ita inter se coaluerunt, ut primitivi nominis substantia non subitaria quadam virtute amplificetur tantum, sed alia substantia, sive illa sequitur sive praegreditur, immixta prorsus transformetur. Sic Minerva vocatur *ἀνδροθέα*, Juppiter in taurum mutatus *θεόταυρος*; qui lupi habitum et ululatum morbo adoptavit, *λυκάνθρωπος*; qui humanam formam induit deus *ἀνθρωποδαίμων*. Item in nominibus propriis quae comici poetae composuerunt, duae personae finguntur in unam conflatae: velut *Ὀρεσταυτοκλείδης* est Autocleides a meretricibus ut a Furiis Orestes vexatus (Meineke hist. cr. c. Gr. 432), *Σφιγγοκαρίων* Cario servus Sphingis ritu aenigmata proponens (Mein. 365), *Δημοτυνδάρεως* Populus in integrum restitutus ut Tyndareus olim ab Inferis revocatus est (Mein. 261), *Θουριοπέρσαι* Thurii *περσίζοντες* (Mein. 228), *Ἡρακλειοξανθίας* Xanthias Herculis persona indutus. Horum igitur similitudinem (nihil enim huc, sed ad ea, quorum „partes una ab altera definitae sunt" (Lob. 369) pertinet, quod Welckerus conferri jussit *δουλοδιδάσκαλος*, h. e. servorum praeceptor — Mein. 82) secutis Dulorestes habendus est aut servus Orestis aut Orestes servi partes in ipsa fabula agens. A qua notione quantum abhorret qui ne *δοῦλος* quidem est *Ἱεροδουλορέστης* iste, cujus ministerium, quod sic nullum in Tauris est, si ad actionem conferre voluerit poeta, immerito profecto Dianae sacerdos

illis: „qui meritat hominem se servum facit" repudiaverit, immo sanctissimum nec ullo modo violandum esse tyranno oportebat persuaderet. Et hac quidem re tota fabula fatendum est ut — nec tamen ad Welckeri rationem — immutaretur futurum fuisse. At talibus conjectationibus quid non potest excogitari? Hermannum igitur persuasum nobis est, quamquam minus aptis usum exemplis (Δύςπαρις et alia cum adverbiis conflata nomina laudantem) verum tamen optime perspexisse, quum censeret non fortuitam quandam qualitatem, velut primo prodeuntis habitum, sed ipsam personae essentiam illo composito significari. Itaque illud quoque concidet debilissimum fulcrum Stieglitzianum de majore commutandae litterae u in o quam vice versa proclivitate desumptum. Nam ut hoc solum afferam, apud Photium s. v. προς φθεῖρα κείρασθαι Albertius Eubuli fabulam Δόλωνα restituit ex corruptela: Δούλῳ (Mein. 363). Quid igitur obstat quominus cum Hermanno Dolorestem, non quidem simulatum a Pylade Orestem, sed — vel irridente furtim Stieglitzio p. 25 — fallaciis simulacrum auferentem intelligamus? Jam vero hoc concedendum est, doli causa non necesse fuisse ut Euripidis Iphigeniae, si eam imitabatur, nomen Pacuvius cum Doloreste commutaret. Quid inde sequitur? Aliamne eum vertisse? Quae tamen argumentum maximam partem Euripideum habebat. Nam sola monumentorum auctoritas numquam profecto illam potissimum Thoantis mortem continuisse evincet. Quae vero inter novem Pacuvii et Euripidis locos non omnes sane a Stieglitzio recte indagatos intercedit congruentia, si eam in simili utique causa non valde aestimandam censet Welckerus, hoc certe nostra pro parte videtur afferri posse, non le-

viorem illam esse quam quae in Phoenissarum reliquiis conspiciatur. Et Oeacis vaticinium non quidem Pacuvium habere auctorem contra Welckerum audemus affirmare, sed ut in Phoenissis vicissitudinem illam imperii Attius, ita illud Noster aliunde in suum usum quidni converterit? Nihil igitur cogit de alieno, quod solum Romanus poeta secutus sit, exemplo cogitare. Itaque in partes cedant ei, qui tituli formam quamquam Graecis quoque tragoediis inauditam et tantam dimidiatae fabulae immutationem reformidantes contaminasse Pacuvium; eique qui et amicorum generositatem ut Romano ingenio dignissimum inventum et in nonnullis rebus rusticitatem quandam soli Pacuvio debere malunt. Euripidea auctoritas utique manebit.

(Reliqua propediem edentur.)

VITA.

Natus sum ego Joannes Carolus Otto Ribbeck Erfordiae anno hujus saeculi vicesimo septimo patre Friderico, matre Julia e gente Natan, quibus laetor superstitibus. Quinto aetatis meae anno Vratislaviam parentum sede collata litterarum elementis privata primum imbutus disciplina, deinde gymnasio Fridericiano tunc Ludovico Cannegiessero rectore florenti traditus inde ab anno MDCCCXLIII ineunte iterum mutatis Laribus gymnasio Leucophaeo Berolinensi per biennium quum ceterorum praeceptorum egregiis usus praeceptis tum patrui matura morte jam defuncti cultus sum amore. Superato examine vere anni MDCCCXLV hujus academiae civibus adscriptus postquam per anni spatium lectiones audivi Boeckhii, Lachmanni, Trendelenburgii, Boppii, Zumptii et Gepperti, universitatem adii Fridericiam Guilelmam Rhenanam, almam reapse studiorum meorum nutricem. Ubi non solum per tria semestria scholis fruitus sum praeclarissimis Welckeri, Ritschelii, Dahlmanni, Loebelli, Nitzschii, Urlichsii, Schleicheri, sed seminarii etiam philologici inter sodales ut reciperer contigit benevolentia Welckeri et Ritschelii, quorum virorum et institutioni et comitati eximiae dici nequit quantum debeam. Ritschelio autem patrono meo quo immortalis gratiae nomine addictus sim, scimus spero uterque. Jam ab anni MDCCCXLVII autumno huc reversus iterum per tria semestria Boeckhii, Lachmanni, Ritteri, Gerhardii, Werderi, Toelkenii, Curtii, scholas frequentavi. Restat ut omnibus illis viris optime sua quoque parte de me meritis debitas persolvam gratias; inprimis autem Lachmanni propensam in me voluntatem, atque Gerhardii summam in archaeologicis meis exercitationibus regendis humanitatem grato animo praedicem.

THESES CONTROVERSAE.

I. Quae in Ciceronis oratione Planciana inde a cap. 3, 8 (sed hoc totum sqq.) usque ad c. 4, 10 (non competitoris, accusas) leguntur, omnia ejicienda sunt.

II. Pacuvii Periboea ad Oenei Euripideae exemplar composita est.

III. Frustra videntur esse Ladewigii tragicorum thesauros ex Plauto eliciendi conamina tantum non omnia.

IV. Horatiani carminis II. 5 initialis stropha excidit.

V. Catullus 68, 90 sic videtur corrigendus esse: „quae vitai nostrae letum miserabile fratri" e. q. s.

VI. Apud Sophoclem Oedip. Col. 1466. Herm. Suidas sic legit: *ἔπτηξα θυμόν· αὐρία γὰρ ἀστραπὴ φλέγει πάλιν.*

VII. Terentii in Phormione locum III. 2, 14—18 sic esse restituendum censemus:

> **D.** Ádeon me ésse incógitantem atque imprudentem, Phaédria,
> Út phaleratis dictis ducas me; ét meam ductes gratiis?
> Miseritumst, si véris vincor. **A.** quid istuc autem est, Phaédria?

VIII. In Terentii Eunucho III. 2, 35 aut „aliam, hoc" corrigendum; aut v. 34 et 35 delendos, v. 33 autem Gnathoni tribuendum putamus.